


Orvt. Qu.

54<sup>h</sup>



Orvi. Qu.

54  $\frac{h}{=}$





DE  
TERRA MEDICINALI  
TOKAYENSI  
TRACTATUS  
MEDICO-PHYSICVS.

DE  
TERRA MEDICINALI  
TOKAYENSI  
**SENNERTVS**

In Ep. Nat. Sc. Lib. V. C. I. p. 351.

*Præstat Terrarum vires potius generi, quam loco adscribere; &  
quamque ex sua natura æstimare, Terrarumque vires experimentis  
probare.*

885525

DE  
**TERRA MEDICINALI  
 TOKAYENSI,**  
 A  
 CHIMICIS QVIBVSDAM  
 PRO SOLARI HABITA,  
 TRACTATVS  
**MEDICO - PHYSICVS**  
 AVTHORE

D. DANIELE FISCHERO, HVNG.  
 ANTEHAC INCLYTI COMITATVS LYPTOVIEN-  
 SIS, NVNC VERO INCLYTI COMITATVS SCEPVSIENSIS,  
 ET REGIÆ LIBERÆQVE CIVITATIS KESMARKIENSIS PHYSICO  
 ORD. AC ACAD. CÆSAR. LEOPOLDINO - CAROLINÆ  
 NATVR. CVRIOS. COLLEG.

---

WRATISLAVIÆ  
 APVD MICHAELEM HVBERTVM  
 ANNO MDCCCXXXII.

M. ACADEMIA'  
KÖNYVTÁRA

G. TELEKIEK'  
ALAPÍTVÁNYA

EXCELLENTISSIMO, ATQVE ILLUSTRIS-  
SIMO COMITI, AC DOMINO,

DOMINO

SIGISMUNDO CSAKY  
DE KERESZTSZEPH,

SACRATISSIMÆ CÆSARÆ REGIÆ-  
QUE MAJESTATIS CONSILIARIO ACTVA-  
LI INTIMO, TAVERNICORVM REGALIVM MA-  
GISTRO PERPETVO TERRÆ SCEPVSIENSIS, EJV-  
DEMQUE ET INCLYTI COMITATVS  
ABBA VJVARIENSIS SVPREMO  
COMITI,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO  
FELICITATEM PERENNEM.

EXCELLENTISSIME AC IL-  
LUSTRISSIME COMES,  
DOMINE GRATIOSISSIME.



Permultum audeo, COMES EX-  
CELLENTISSIME, quod in  
conspectum gratiosissimum,  
præsentem opellam, levi penicillo adum-  
bratam, splendorem a præfixo Nomine  
ILLVSTRISSIMO EXCELLENTIAE VE-  
STRAE, naçtam, humillime sistam. Sæpe  
enim exoptaveram tempus, quo meam  
obsequii religionem, monumento pieta-  
tis

tis publice constituto, sancte confirma-  
rem; Cum enim vix quinquennium tran-  
siit, quo Inclyti Comitatus Scepusiensis  
officia, *EXCELLENTIA VESTRA* gra-  
tiose restauraret, factum est, quod & ego,  
præter spem, & meritum Physici Primi  
Processus Inclyti Comitatus Scepusiensis  
dignitate gratiose ornatus sim. Sed in hoc  
non subsistit Heroicus animus, *GRATIO-  
SISIME COMES*, quum ultro me plane  
cumulatum gratia cernerem. Nam mentes  
aliquot vix transiere, ubi, sub Restaura-  
tione nova gratiosissima, in Physicum ordi-  
narium totius Comitatus denominatus, at-  
que electus sum. Hæc, & plura alia indul-  
gentiæ munera, tantopere pectus feriere,  
ut quotidie cogitarem de gratitudinis spe-  
cimine edendo. Etsi nec mea, nec cujus-  
quam, ingenii contentio tantum valet, ut  
profusis omnis eloquentiæ viribus divi-  
narum laudum *EXCELLENTIAE VE-  
STRAE*

*STRAE*, in quarum admiratione cultu-  
que omnium defixæ sunt curæ, magni-  
tudinem assequatur; attamen, licet nihil  
ad splendorem referrem, saltem videbar  
pie facturus, si hoc quicquid est monu-  
menti chartacei ad pedes *GRATIOSIS-  
SIMI mei DOMINI*, demississime depo-  
suero. Equidem non ignoro me offerre  
munus tanto Heroi, tamque in alto di-  
gnitatis fastigio collocato indignum: ast  
ne illud quidem mihi ignotum est, *IL-  
LUSTRISSIMUM COMITEM*, tam in-  
usitatæ humanitatis exemplum prodere,  
ut quod ad pedes *EXCELLENTIAE VE-  
STRAE* demississime deposuerint clientes,  
id non tam conditione sui, quam eorum,  
qui posuere, pietate votoque metiri. In  
hac confidens quoque accedo, & hoc  
quicquid est munusculi chartacei, ad pe-  
des *ILLUSTRISSIMAE EXCELLENTIAE  
VESTRAE* demississimo animo in munifi-  
centiæ

centiæ effusæ testimonium, depono; ad-  
spiciat oculis gratiæ plenis, & ex offeren-  
tis animo & sine id æstimare dignetur  
*EXCELLENTIA VESTRA*, atque me  
immerentem gratia sua nunquam excide-  
re faciat, quin potius gratiose foveat, qui  
submissione, devotione, & quæsitissimis  
studiis, eandem venerari nunquam desi-  
stam, atque sub præsidio tutelaque *IL-  
LVSTRISSIMI DOMINI* vota pro in-  
columitate *EXCELLENTIAE VESTRAE*,  
& *ILLVSTRISSIMAE GENTIS  
CSAKYANAÆ* semper suscipiam, more  
illorum, qui omne felicitatis suæ momen-  
tum in salute *GRATIOSISSIMI CO-  
MITIS* posuerunt. Faxit itaque summum  
*NVMEN*, ut vicens semper valensque in  
Pannoniæ bonum, *GENTIS ILLVSTRIS-  
SIMAE CSAKYANAÆ* splendorem, &  
*TERRAE SCEPVSIENSIS* consolatio-  
nem, diutissime & ab omnibus temporum

XX

in-

injuriis tutus, *EXCELLENTIA VE-*  
*STRA*, vivat. Et hoc est quod religio-  
se precatur, atque vovet *ILLVSTRIS-*  
*SIMAE EXCELLENTIAE VESTRAE.*

Kesmarkiny d. 7. April.  
Anno 1732.

*devotissimus*

*obsequentissimusque*

**Daniel. Fischer. D.**

LECTO-




# LECTORI CANDIDO.

S. ET O.

**P**rodit in lucem *Tractatus de Terra Medicinali Tokayensi Physico Medicus*, levi penicillo adumbratus, ast experientiae & rationi sanæ superstructus, non ut aliquam gloriolam Author ejus inde captaret, quippe quum is longe alienum tale quid a se esse reputat, prout ii fatebuntur, qui eum penitus cognovere; sed quo Res Naturales Pannoniæ, hæctenus eruditorum lucubrationibus nondum exornatæ & illustratæ, Tibi L. C. magis notæ redderentur, atque Eruditi Pannoniæ ad eas describendas eo fortius incitarentur, stimularenturque. Et mirari satis haud possum, quod Res Naturales Pannoniæ semper exteris fuere in æstimo, attamen perpauci inventi sunt, qui easdem secundum exigentiam rei serutarentur, ac describe-

scriberent, contenti sæpissime traditionibus, fabulis non multum ab-  
similibus. Prolixior esse deberem si hoc assertum exemplis idoneis  
confirmare vellem; ast cum conveniens exemplum afferat ipsa Terra  
Medicinalis hoc Tractatu descripta, necessum haud esse existimo alia  
adducere. Constabit autem Tibi L. C. ex ipsa perlectione hujus Tra-  
ctatus, quantis fabulosis Traditionibus, de hac Terra, se non delecta-  
bantur, non solum antiquiori sed & nostro hoc ævo, Materiæ Medi-  
cæ scriptores, æque ac quidam Chymici, dum eadem nescio quam so-  
larem naturam, & ex hoc fundamento deductam efficaciam singularem,  
& specificam adversus herculeos etiam morbos adscribere, imo &  
Tincturam solarem ex eadem parare intenderunt, cum vera Tinctu-  
ra auri de efficacia certantem. Quare ne multi incauti deciperentur,  
hoc quicquid est opusculi confeci, & Terram Medicinalem pro tenui  
posse, secundum infucam ejus indolem descripsi, ac veram ejus na-  
turam efficaciamque Medicam a fabulosis & falsè adscriptis elogiis vin-  
dicavi. Quod si hunc conatum meum abs Te, C. L. comprobari vi-  
dero, pluribus, Historiam Naturalem Pannoniæ, illustrantibus speci-  
minibus Tibi inservire haud intermittam. Quod vero de Elementis  
Physicorum aliquanto prolaxior fuerim haud in malam id interpræta-  
beris L. C. partem spero, quippe cum animadverto, similes conatus Sy-  
stematicorum scriptorum, plus decrementi quam incrementi Philoso-  
phiæ Naturali attulisse. Atque hoc uti pridem cordati quique scienti-  
æ naturalis Professores jam animadverterunt, ac idcirco variis scri-  
ptis, Cultores Historiæ naturalis, ab horum sectatione dehortarunt,  
huic vel hoc ipso citius veniam merebor, quod prolaxior in his prin-  
cipiis postigandis fuerim. Cæterum solemniter prætestor, me hunc  
Tractatum non scripsisse, ut famæ alterius aliquid derogatum esse vel-  
lem, sed quo pateat quid de Terra Medicinali Tokayensi, ex vero sen-  
tiendum sit? Unde si quis se læsum esse sentiet, non mihi sed verita-  
tis studio adscribat. His optime vale, & conatibus meis evidentibus  
Tibi L. C. serviendi fave, propediemque plura expecta.

TRACTA-



TRACTATUS  
PHYSICO-MEDICUS  
DE  
TERRA MEDICINALI  
TOKAYENSI.

---

---

§. I.

**T**errarum Medicinalium solummodo species, si quis paulo penitius consideraverit, profecto mecum mirabitur, qua de causa factum, quod Terræ notio generalissima, principiorum Physicorum in numerum suscepta. Equidem, si notionalis unici esset Philosophia naturalis, in qua vocibus ludere liceret, admiratione haud indigeret, sed cum naturæ liber, quem exponit laudata scientia naturalis, res proponat indefinitas numero, quarum essentia, affectiones, mutationes, aliaque plurima, nobis etiam haud pauca hucdum incognita, expendantur, conatus sic Philosophantium, sine admiratione præteriri haud potest; alias enim, nullam realem scientiam Physicam, sed potius, notionalem conceptum rerum, unice possideremus, qui nos tantum juvaret, ac si revera nihil sciremus, præter id quod sensu percipimus, ignorando, quid sub Objecti, vel corporis notione, reale contineatur. Jam nihil dicam, de antiquissimorum Philosophorum principiis, quæ fuse satis ab aliis sunt discussa, & profligata

A

figata, in quorum numerum, & Terram video esse relatam, quippe cum veneranda antiquitas, his uti debebat adminiculis, in scrutinio causarum, destituta tantis experimentis Chymicis, Mechanicis, observationibus Physico-Medicis, Anatomicis, Opticisque, quæ subsequenter temporibus per Celeberrimos Naturæ Mystras, diligentissimosque experimentatores, sunt prolata. At atro profecto sunt notandi carbone, recentiores Naturæ Consulti, quod notionali huic Philosophandi mori subscripserint, illorumque hypotheses, sive elementa, sua fecerint. Non semel profecto hæreo, qui fiat, quod in plerisque systematibus Physicis, recentiorum nostrorum Philosophorum, eadem antiquissimorum Philosophorum somnia, recocta, deprehendo? Causam aliam ignorans, nisi quam *Celeb. GEORG. BAGLIVUS Praxeos Medicæ Lib. I. Cap. XII. p. m. 127. seq.* dedit, dum rationem exponit, qui fiat, quod certum aliquod systema, de re Medica, determinari haud potuerit? inquit: *Non alia de causa factum id esse inveniet, quam quod Medici, vires mentis viribus experientia debite accommodare atque adungere noluerunt.* Nec male hæc ad Philosophos, res naturæ universas rimantes, applicari possunt: Quot quot enim sunt, qui systemata Physica descripserunt, ii, paucissimis exceptis, de propriis haud quidquam addiderunt, quin potius aliorum somnia, recoxerunt, naturam ipsam, parum consulentes nec ad effectus rerum constantes & accidentales attendentes, ad quos tamen maxime attendere debebant, si alias, ex vero, systema aliquod Philosophiæ naturalis, condere intendebant, volebantque. Sed durus hic erat ipsis nodus, cui solvendo, non pruritus inclarescendi, non ingenii facultas speculativa, non libido contradicendi, nec alii vani affectus, quidquam juvant, quippe cum his scopuli evitari haud possint, quin potius hic unice innixi, in Scyllam incidant necesse est. Toto enim die constat, ita, ut & me tacente, quivis facile, palpare manibus possit, systematum scriptores, ut methodo semel jam in his, per consuetudinem perversam, usitata, satisfacerent, ne capita de principiis & elementis, vel plane negligenter, vel

flocci

floci penderent, assumere principia, & hypotheses, sectæ cujusdam authoris, hæcque vel ex toto, vel ex parte retinere, aut conjungere, cum alterius sectæ authoris hypothesibus, pro placito genii sui attamen, Eclecticorum nomine, superbiere volunt: Quibus, qui se opponeret, necesse esset, ut surgeret, alter aliquis, *BVRCHERVS de VOLDER*, qui hujus judicium in *Diss. de rerum Naturalium principiis Thes. VI. § seq.* illis objiceret, quod ii, ignari sint, veræ cognitionis Physicæ, veræque methodi eam assequendi non enim metiuntur, naturæ vires, & proprietates, secundum principia, & hypotheses ab ingenio otioso excogitatas, sed hæc, illis accommodari debent, quasi vero in Augusto naturæ imperio, commenta hæc unum illud centrum sint, ad cujus circulum omnes omnium creaturarum proprietates circumvoluerentur, graviter sic monente, *AVG. HENR. FASCHIO*, in *Diss. de circulatione lymphæ & catarrhis Præf. p. 1.* Quare etiam mirari haud debemus, similes conatus Physicorum, certitudine destitui, quippe cum lubrico fundamento, nec non in cerebro natis hypothesibus, omnia superinstructa videas, unde fit, quod quivis, de hypothesi inventa, triumphum cantare volens, ad tam arduas, revera tamen nihil significantes disputationes, delabatur, quibus licet sese quis extricaverit, ingenio confusus, tamen ignorat, num hæc etiam ita, in natura ipsa, eveniant. Hinc fit quod ex similibus conatibus, nullum augmentum, scrutinii præcipue causarum, in Physicis sperari debeat, recte enim rursus laudatus *BAGLIVUS L.c.* *Que fundata sunt in natura, inquit, crescunt, & perficiuntur, quæ vero in opinione variantur non augentur.*

## §. II.

Hæc paulo acuratiore, & severiore lance perpendens, acutissimus, *CLAVDIVS PERALTIUS Essais de Physique*, se hunc suum tractatum, vel ideo tentaminum nomine inscripisse dicit, quod Philosophica pars Physicis, (duas enim is constituit, Philosophicam & Historicam) hypothesibus maxime & conjecturis superinstruatur, adeoque nullum aliud habeat fundamentum

mentum, præter probabilitatem, unde fit, quod non nisi obscuræ, & parum certæ cognitiones, in eadem contineantur. Neque alteram partem, Historicam videlicet, adeo esse certam, quæ sufficeret, pro idoneis consequentiis, & consecrariis deducendis, tutus veluti, asserit, cum illæ consequentiæ, quas ex Phænomenis, extraordinariis, & novis experimentis, deducimus nihil satis firmi habeant, ob defectum necessariæ notitiæ, rerum aliarum, quæ ad stabiliendas illas requiruntur: quin & quo plures instituuntur observationes novæ, eo majore semper in erroris periculo nos versari; siquidem observationes illæ novæ, frequenter minus inserviant ad confirmandas, quam ad destruendas, eas, quas antea feceramus, conclusiones. Quæ quidem ingenua & vera confessio Viri acutissimi, nostris Philosophiæ Naturalis Professoribus, præsertim observanda, diligentiusque pensanda esset, antequam, ad conclusiones, & hypothesium deductiones, ex observationibus quibusdam, sæpe solummodo particularibus, venirent; At non modo hæc, nihili æstimatur, imo sæpius vituperatur, ab illis, ac potius, nescio quo cæco amore, erga hypotheses, jam jam deductas, vel ab ipsis, vel ab antecessoribus suis, aut sui æqualibus, feruntur, hisque omnia experimenta & observationes, accommodant. Atque hoc maxime, in Elementorum doctrina, in systematibus Physicis fere omnibus, usu venit; secundum hæc enim, determinare solent, essentias corporum, ad horumque qualitates, mentiuntur actiones eorum, ita, ut illa omnino fundamentum totius systematis Physici, constituentur, sed qua evidentia atque certitudine, ipsi ignorant, nec alios satis informare possunt, ipsi incerti existentes. Hoc videntes veri amantes Viri, quibus incrementum Historiæ, æque ac scientiæ Naturalis, curæ cordique erat, graviter in hos invehuntur, atque demonstrant, quod ex horum conatibus, etiam maximis, nullum incrementum, Philosophia Naturalis, nanciscatur, sed potius incertitudo ejusdem adaugeatur, licet copiosissimam sylvam experimentorum, ac observationum, hypothesibus suis accommodent, & ad easdem comprobandas, sine adhibito selectu, &

cogni-

cognitione circumstantiarum, undiquaque corradant. Verum, nec hi severis etiam animadversionibus, admonitionibus justis, quidquam efficere poterant, cum his semel inescati, ac intoxicati sese extricare, amplius haud valeant; malunt enim cum recepta methodo delirare, quam cum cordatoribus, qui a methodo illa secessum fecerant, verum proferre. Dolenda itaque protervia hominum, quæ ex pertinacia sua, atque amore hypothesium, vulgarisque Philosophandi methodi, non patiuntur, se ad veram rerum cognitionem, deducere, quæ non hauritur, e gremio elementorum, nec ad placitum, inde ortarum qualitatuum, dimetiantur naturæ operationes, sed ex vera contemplatione effectuum rerum, ac notitia, quæ comparatur rerum copia & varietate eaque sufficienti convenientique ratione probata, & disposita, adhibito felici ratiocinio concluduntur, ac confirmantur, videlicet ex data experimentorum collatione, illum effectum ab alia causa esse non posse, nisi ab ea, quæ cum dictis experimentis stare Physice potest, optime sic monente *JOH. BAPTIST. ROETHELIO. Posit. Physicar. Misfn. I. Posit. XXI.* Verum hæc Methodus, ipsis admodum ardua esse videtur, multisque laboribus involuta, nec tam facile eadem, problemata solvi, multo vero tardius, demonstrari posse existimant, cum e contra ex datis principiis, ea citissime & resolvantur, & demonstrantur. Fateor, & largior hoc ipsis omnino, ex datis principiis, citius rerum investigari posse causas, sed quibus, & qualibus? hoc prius demonstrare debent. Ex dubiis enim, quid concludes præter dubia, ex falsis falsa. Quale enim principium tale quoque principiatum. Si autem ex veris principiis, ac indubitatis, dicant, debere consectaria deduci, bene, si ex talibus, etiam veræ erunt deductiones; sed prius examen principii, instituere is cogitur, qui de veritate ejusdem, certus esse vult, hoc autem examen, nonne eodem modo institui debet, quo, uti superius asserui, effectuum causarum, vera acquiritur notitia, hoc enim modo & *Illustris FR. BACO. Lib. Baro de VERULAMIO in D. N. A. p. m. 993. seq.* axiomata & aphorismos, erigere, & constituere justit,

fit, adeoque facile quivis videre potest, hos homines, laborum desides esse, quo dum evitare volunt, continuis, iisque majoribus, sese involvere; imo & inextricabilibus. Sed audio jam opposites, in investigatione veri, desides Philosophos, non esse necessarium, ut unusquisque, principiorum examen susciperet rigerosum, sed sufficere, si principia, ab inventore, & authore sint confirmata, is enim ea, non fundamenti loco supposuisset, nisi certus, de eorum veritate, fuisset. Verum, his facile respondere est, nec multis ambagibus indiget, adeoque vel solas confessiones inventorum, sive alicujus sectæ authorum primorum, addere placet: Sic ipse *RENATUS des CARTES. Princ. Philos. Part. III. p. m. 63. seq.* de suppositis suis principiis, ingenuè confitetur, inquiens: *Ne nimis arrogantes esse videamur, si de tantis rebus Philosophando, genuinam earum veritatem a nobis inventam esse, affirmemus, malim hoc in medio relinquere, atque omnia, quæ deinceps scripturus sum, tanquam hypothesin proponere, quæ quamvis falsi existimetur, satis magnum operæ prætium me fecisse, arbitrabor, si quæ ex ipsa deducuntur, cum experimentis consentiant.* Sed, non solum hic acutissimus Philosophus, ingenuè, incertitudinem suorum principiorum, confessus est, sed & ipse *ARISTOTELES*, hujusque defensores acerrimi, ex quorum numero, vel solum *PLEMPIVM*, qui iudice *PHILIPPO VERHEYEN, in Supl. Anat. Tr. I. Cap. I. p. m. 1.* acerrimus, antiquitatis, & Aristotelis, defensor erat, hic enim admodum perspicue tradit, de quaternione elementorum, quid sentiendum sit? dum ait: *Puto non posse vera, & efficaci ratione probari; esse tantum, vel esse debuisse quatuor elementa.* Ex quibus ingenuis confessionibus, quis existeret tam vesanus, ac statueret, hæc principia, de quibus ipsi inventores dubitarunt, esse certa adeoque ex his, etiam in causarum scrutinio, veras demonstrationes deduci posse.

### §. III.

Nemo autem, credo, tam simplex futurus est; qui sine adhibito prius examine, admittet, quod Philosopho, haud sit indignum

dignum institutum, ut assumeret, proprietatem quandam corporis naturalis communissimam, eamque legibus, quas illa observat, per experimenta examinatis, ad alia magis obscura illustranda adhibeat, uti quidem affirmat Celeb. JOH. FREINDIVS, in *Prælect. Chymic. Vind. Transact. Angl. Ai. 1711. inferis*; quippe, cum talis proprietas communissima, licet multum faciat, ad solutionem difficillimorum problematum, non existat universalis, ad cujus normam, omnium corporum proprietates, dimetri possent. Sæpissime etiam, sub taliusmodi specie, hypothesis falsissima, latet, quæ primo intuitu, videtur esse vera, altius vero pensitata, falsissima deprehenditur; qualem quidem esse, vim attractricem, atque centripetam, *Illustris ISAACI NEVNTONII*, quam describit in *Phil. Natur. Princ. Mathematic. Def. V. p. m. 2. cujusque modum inveniendi Sect. II. L. c. Prop. I. p. m. 34. seq. demonstrat*. Atque hanc hypothesin, etiam vocare solent, proprietatem communissimam, uti, ex ante laudato FREINDIO constat, id quod, & CL. ABRAHAM VATERUS, in *Theoria Chymia Mechanica Th. IV. p. u. seq. clarius tradit inquires: Nec ideo quod causa gravitatis obscura satis sit, gravitas ipsa, & gravitatio, seu vis attractrix seu centripeta, Illustris NEVNTONII fabula est, utpote quæ experientia infinita confirmata, atque summo cum successu ad ardua & explicatu difficillima naturæ phænomena, motusque corporum cælestium aque ac terrestrium enodandos, a summo illo Philosopho accommodata est*. Equidem, instituti ratio nunc non permittit, ut examinarem, hanc hypothesin, multis hodie Philosophiæ naturalis Doctoribus, approbatam, in aliud tempus, idque commodius hujus inquisitionem relinquens; Pro ratione autem moderni instituti, hoc solum demonstrandum venit, quod multa deduci possint ex hypothesibus, quæ primo intuitu, videntur vera esse; verum, si accuratius evolvitur examinaturque certitudo, ipsius hypotheseos, illico res clara redditur, quid de hujusmodi deductionibus, sit sentiendum. Hypotheses enim illæ unice pro veris haberi debent, quas experientia multiplex, & cauta, confirmat, ratioque comprobata sana. Experimenta autem illa, quæ hypothesin

fin

fin aliquam, confirmant, debent esse directa, & unice hypothesin confirmantia, non vero indirecta & e longinquo petita, nec magis pro alia hypothesi facientia. Tamdiu enim, experimenta ambigue hypothesin confirmant, si non tam pro hypothesi confirmanda, quam etiam, pro alia, & plane contraria, militant. Si itaque ambiguis experimentis, hypothesi aliqua inædificatur, necesse est, ut & hypothesi ipsa, dubia sit: Quæ, si incerta est, nullus etiam Philosophus, certus, de certitudine, & veritate hypotheseos, esse potest. Jam itaque ad hypothesin Newtonianam, quam proprietatem communissimam, salutant, ut accedant, hanc confirmant, talia experimenta, quæ & aliam hypothesin, stabiliunt, ita quidem, ut authores Physici, contrariæ hypothesi; eadem quoque applicent, quemadmodum videre est, apud *BOANIVM, DIGBAEVVM, ZACH. NEVCRAZIVM, ROHAULTVM, GAUCKES, M. G. LOESCHERVM*, & alios. Imo, experimenta, pro hypothesi Newtoniana adducta, tantum apparenter, non vero evidenter, eandem demonstrant, quin potius, quod rei cardo est, contraria, hypothesi Newtonianæ sunt, prout suo loco demonstrabitur. Talem autem hypothesin proprietatem corporum salutare, quis poterit? cum proprietates, sint certæ constantes, imo, ut ita loquar perpetuæ, hæc autem hypothesi, adhuc sub lite hæret. Adeoque ex dictis jam elucescit, quid de assertionem *FREINDII*, statuere liceat, videlicet, ante omnia investigandam esse, num sit vera proprietas corporum, vel hypothesi? Quod cum investigatum est, videndum etiam erit, num ea omnibus corporibus competat? Porro num aliquam habeat cognationem, cum reliquis proprietatibus, ita, ut ex eadem, veluti origine fluant, atque num reliquæ proprietates secundum eandem semper metiri possint? Atque hoc, dum probe quis cognovit, illico etiam, in nostram sententiam, consentiet, quippe cum nullam inveniet proprietatem, quæ exasse præfata requisita habeat. Demonstrare autem ex falsè assumpta proprietate, non esse Philosophi, tutus assero, quippe cum hujusmodi demonstrationes, semper tacite, & tecte, hypothesin habeant reconditam,

ditam, quo tamen auribus incautorum, satisfacerent, non hypotheseos, sed proprietatis corporum nomine, eosdem revera decipere intendunt. Non enim sufficit, dicere, eandem esse veram proprietatem vel hypothesin, quæ ad difficilia naturæ phenomena, explicanda adhibetur, quippe cum multa etiam ex falsa hypothesi, demonstrantur, uti id, plurimis ex Physicorum laboribus, constat, quod vel ex conatu, *Cl. FVONIS GAUCKES* in *Diss. de Medicina ad certitudinem Mathematicam evehenda, apparet*, quem plurimi Philosophi, & Medici propterea, nunc rident; Is enim Mathematicam certitudinem, medicæ arti adferre volens, totam suam dissertationem, principiis Cartesianis, & quorundam Chymicorum, inædificavit, unde admodum futiles ipsi sunt ortæ demonstrationes Historiæ februm, quæ num Mathematica gaudent veritate, vel initiati Matheoseos & Medicinæ manibus palpare possunt?

## §. IV.

Refugia autem & asyla esse Philosophorum, principia Physicorum omnia, quocumque etiam alio nomine, eadem salutare volueris, quæ in resolutione problematum, ne corticem ipsam feriunt. Quare fatius esset, his relictis, naturam ipsam rimari, methodo superius descripta; sed desidia hominum, cito sapientium, & ambitiose de se sentientium, non permittit, quo laboriosum hocce negotium, ex vero scrutari intendere susciperentque, quin potius malunt se hypotheseibus juvari, quam diu dubitationum fluctibus committere, & laborem suscipere, multis difficultatibus, laboribus, curis, molestiis ac sumptibus, obrutum, quo certius, corporum naturas, effectuumque causas, haberent innumerato. Multis enim laboribus, iisque maximis, hoc scrutinium naturæ absolvitur. Recte uti in omnibus fere, sic & in his effatus est, *Celeb. dum viveret Physicus & Theologus, laudatus supra ROESCHELIUS. l. c. Post. XXVI.* inquit: *Naturæ notitiam adipiscitur, non qui otiose & superficialitè eam considerat, sed qui diversimode experiendo observandoque ipsam rimatur, scrutatur, explorat, ac varie licet elabentem*

*tem sectari nihilominus perseverat.* Ac belle profecto, æquiparavit diligentiam Physicorum, sagacitate venatorum, *CICERO Lib. I. de N. D. §. 83.* Physicus enim, ut speculator, ita & venator naturæ est, ut enim feram assequitur, non segnis spectator, sed sagax venator. Hic itaque labor indefessus, hos a vero scrutinio causarum Physicarum, detinet, hinc malunt, cum majoribus, hypothesibus rem conficere, atque illorum laborem obscuriorem reddere. Sed scire deberent, & venerandos antecessores nostros, nondum confecisse hunc laborem, ita ut rerum naturalium notitiam, cum vero causarum scrutinio, habuissent innumerato; nullus enim gloriari potest, se vel unicum stadium, sive pensum Physicum, ex vero absolvisse; Adeoque quod illi non poterant in apicum deducere, posterius ejus deberent, cumque hi vident, eos nihil profecisse hypothesibus suis, alia his foret ingredienda via, cui felicius & certius insistentes, plures & majores, quam antecessores, facerent progressus, tandemque, Naturæ scientiam, ad tale fastigium eveherent, quo posteris liceret, majori otio frui. Sed hæc credo, in votis manebunt, quippe cum, nulla ætas tam fertilis erat hypothesium Physicorum, quam quidem hæc nostra, quippe cum omnis, qui novam aliquam proponit observationem, simul & novam effudit opinionem, unde tot jam sunt in Physicis sententiæ, quot capita, & ut est apud *VARRO-NEM.*

*Nemo egrotus quicquam somniat  
Tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus.*

§. V.

Hæc uti verissima sunt, nec ulla probatione indigent; attamen non possum desinere mirari, qui fiat, quod plerique Physici, aliorum defectus videant, proprios vero errores non animadvertant, vix enim credo, posse eosdem adeo sollicitos esse de suis propositis, quam quidem sunt in taxandis aliorum sententiis: Illorum enim latas sententias taxant, suas vero laudant, multo infirmiores, quæ examen eorum rigerosum meliori

liori jure subire debebant. Exemplum nobis dabunt, elementa Physicorum: Hic videbis, quosdam taxare *ARISTOTELIS* quaternionem, cum vero illi meliora tradere volunt, admodum insipiunt, nec meliora proferunt, quippe, cum vel numero quaternario unitatem detrahunt, vel addunt, aut loco unius aliud substituunt, magis naturæ conveniens, cujus tamen naturam æque ignorant, ac *ARISTOTELES* elementi ignis. Quis etiam non vidit alios, puta Philosophos corpusculares, inaniter recedere, in proponendis elementis ab *ARISTOTELE*, quippe cum dicant alias esse atomos ignis, alias aeris, alias aquæ, alias terræ. Nec *CARTESIANI* aliter faciunt, quippe quibus, materia tertii elementi, sunt quatuor Aristotelicorum. Chymici equidem, recessum fecerunt ab Aristotelicis, meliora tamen non substituerunt, nam, adhuc sub judice lis est, num elementa, quæ vi & tortura ignis proluciant, sint vera corporum producta, cum, vi ignis, admodum corpora immutentur, demonstrante id, *CONRINGIO* Nob. Dom. a *BERGERSCHEHAMERO* atque *LISTERO*. Quare admiratione maxima dignum est, quod plurimi Physicorum defectus aliorum notare, ipsi vero e contra saniora producere haut poterant, quin potius eadem mutatis solum notionibus horumque numero videbantur retinere. Hi homines si modo saniori mente, ad Aristotelis aliorumque descriptionem elementorum, accessissent, illico, satis superque videre potuissent, inanem esse laborem elementa investigandi, cum nunquam tale corpus, in rerum natura videre licuit, quod omnino ex asse descriptioni satisfaceret. Verum, vix quidem persuaderi possem, eosdem æqua mente descriptionem Aristotelicam, ponderasse, si non viderem & legerem, in eorum scriptis illos, eandem quoque retinere: Audiamus itaque *CL. CHRIST. VATERVM*, in *Physiologia experimentalis P. Sp. Sect. I. Cap. I. Thes. III. p. m. 60.* sequentem proferentem descriptionem elementorum, quæ ipsi principiorum nomine, veniunt: *Principia corporum naturalium sunt corpora simplicissima, a Deo primitus condita, & per univrsam mundum distributa, e quibus omnia corpora*

*composita & mixta oriuntur, & in quæ per distributionem ultimo rursus resolvuntur.* Qua quippe descriptione, quid aliud volunt, quam quod ipse *ARISTOTELES*, dum elementa simplicissima esse dicit corpora, ex quibus corpora constituuntur, & in quæ ultimo resolvuntur. Hæc itaque, uti absque omni dubio, admittuntur, ab omnibus æquis rerum existimatoribus, sic facile quoque quivis intelligere poterit, hac descriptione elementorum, id quidem demonstrari, qualia elementa esse debeant? At si eorum examines prolata principia, observabis, iis minime convenire hanc descriptionem. Simplicissima quidem esse debebant elementaria corpora; sed ubi est & quid est, merito quæras ex his Philosophis, tale corpus simplex? Dicitur etiam ex illis non tantum constare, sed & ultimo in eadem resolvi debere. Verum, quis adhuc resolvit rerum naturas, ita, ut certus esse possit de elementis? Cum itaque simplicia corpora, Physicus hodie nullibi locorum invenire, nec per analysin corporum partim a natura, partim ab arte susceptam, producta habere potest, quibus omnino, descriptio lata, simplicitas videlicet, applicaretur, hinc, merito dubius existit, nec ipse scit, quid asserit, qualiaque statuit elementa, præcipue cum natura in productione corporum, simplici materia, haud indigeat amplius.

## §. VI.

Ex prolatis satis superque constare potest, elementorum tam Physicorum quam Chymicorum notiones, esse vana somnia, quibus delectantur Physici, in reddendis effectuum naturalium causis. Imo, nullus sine manifesta læsione Majestatis divinæ, eadem profiteri censendus est, præcipue cum afferunt, corpora primitus ex his fuisse creata, hoc enim ipso concipiunt sibi creationem talem, qualem quivis artifex, in operibus suis perficiendis, suscipit, quippe, qui sine speciebus materiarum atque instrumentis, haud quidquam efficere potest. Alia enim est ratio creationis: de hac enim vi codicis sacri fide credere tenemur, eam fuisse momentaneam, licet sex die-

rum

rum spatio absolutam, nec ad hanc ullam, vel materiam primam, vel aliam aliquam, quocunque nomine, licet veniat, necessariam fuisse, cum omnia secundum intentionem maximi Creatoris unice, per potentissimum fiat, eo ipso momento fuerunt creata; nec erat illa *omnipotentis artificis*, ut prius sibi formasset materias simplices, sive, ut alii volunt, primas, vel elementa, intentio, sed expresse *in historia creationis exstat, DEVM creasse cœlum, & terram.* Ex quibus verbis nemo tam vesanæ existit mentis, qui crederet, *DEVM* creasse elementa sua, ex quibus reliqua omnia corpora, ex post formavit, quin potius libere fatebitur, cœlum & terram, a *DEO*, secundum omnia sua principia constitutiva, ut composita corpora, creata fuisse. Nulla enim alia existit hodie terra, nec aliud cœlum, quam, quod ab initio fuit creatum, licet, in prima creatione, sub initio rudem aliquam massam, fuisse eadem corpora, ex eodem sacro intelligamus *Codice*, quæ tamen ruditas, & inanitas, ut ita loquar, nullum præbere poterit argumentum, quo crederemus, ea fuisse corpora simplicia. Hæc cum ita sint constituta, injuriosus est Philosophus, dum dicit, ex elementis, creata fuisse corpora, & rursus in eadem, illa, resolvi debere; Hoc enim est *artificem summum*, velle in opere sequi: Latere enim voluit, *omniscius Creator*, modum creationis, adeoque etiam nobis non revelavit. Nobis igitur, de hoc opere, non licet esse sollicitos, sed potius idem unice credere & exosculari, laudibus excipiendo, exemplo *PIORVM, in sacro Codice* laudatorum, *omnipotentem Creatorem.* Nec propterea incitiam accusabimur, non enim semper est Philosophi argutari, sed etiam, ubi res rationem nostram transcendunt, ignorantiam profiteri. Unde non immerito, in hæc verba erumpit, ingenuus, *GUNTH. CHRISTOPH. SCHELLHAMMERUS*, inquiens: *Ab sit ut eo temeritatis veniam, ut magnalia Dei cum multis scrutari, modumque quo singula in creatione peracta sunt, assequi humana ingenia posse, existimem; quis enim caelestia illa expandere posset, aut vellet, quorum permulta, immo forte pleraque tam longe a nobis sunt remota, ut ne quidem oculorum acie, ea possimus discernere.*

## §. VII.

Atque hæc cum certissima sunt, nec a cordatoribus naturæ mystis in dubium vocantur, nihilominus tamen, videas plurimos, non tantum systematum Physicorum corrafores, sed etiam particulares naturæ effectus scrutantes, his delectari, non perpendendo, quod his impossibilia tentent, nec unquam quidquam solidi, prædictorum elementorum adminiculo, in rerum naturalium scrutinio, præstare possint, quod, vel ex eorum scriptis facile quis lector judiciosus, & a præjudiciis liber, colligere & videre poterit. Atque hæc quamvis videantur, imo manibus palpentur ab omnibus, tamen nihili æstimantur, existimantes, quod si hæc, e foro Physico relegarentur, magnum in Philosophia hiatum mansurum, cum & causarum scrutinium, admodum rude, durum difficillimumque, his neglectis, esset, quippe, quod majori labore & industria, si eodem modo investigari debet, uti superius dictum est, nec exiguis sumptibus, indigeret; adeoque malle se, cum scholis ineptire, quam tam gravem laborem subire. Verum hæc, superius cum dilucide factis sint repræhensa, hinc nunc, non amplius his tritis inanibus, inhærere volo, quin potius ad specialiora progredior, ex quibus id quod hæcenus exposui, magis illustrabitur, confirmabiturque.

## §. IIX.

Elementa sua, simplicia esse dicunt corpora, omnium stellarum authores & asseclæ, imo & ipsi eclectici, si hoc nomine adhuc digni sunt, ac Philosophi per ignem; sed, si eorum simplicitatem consideres, inque his quæras, nullo modo invenies: sic, quis non videt, *elementa Aristotelicorum*, esse corpora composita, qui modo observaverit, aëri commixta, in eoque latentia effluvia aquæ, partes admixtas diversas ignis, partes salino sulphureas, quæ illi pabulum dant, in terra vero, tam varias corporum species. Porro, ut *ad Epicureorum* principia accedat quis, cui non notum est, eos supponere, varias atomorum figuras, ad mixti constitutionem, unde sequitur, easdem ex una eademque materia haud esse constatas. Ut nihil dicam, de proprieta-

prietatibus earum, falso assignatis. Advenit & hoc, quod ipsi atomorum fautores, dicant, atomos alias esse terræ, alias aquæ, adeoque ipsi, simplicitatem Atomorum, hoc ipso negant, vi jam dictorum. *Cartesianorum* vero elementa, perceptu quidem facilia & ingeniosa sunt, quæ & me olim sectatum fuisse, lubens profiteor, in *Commentation. de calore atmospherico. Cap. V. Postul. I. §. IV. & V. p. 41. sequ.* sed meliora edoctus, hæc ingeniosa somnia, amplius mea non facio; ast itidem falsum habent suppositum, de materiæ simplicitate, quam ipsimet negare videntur, cum tertium elementum constituere dicunt, elementa quatuor Aristotelica, hæc vero composita esse, jam dictum est. Impossibile etiam est, ex una eademque materia, tot corpora diversissima constare; accedit, quod ipsimet *Cartesiani*, his suis elementis, variam assignent figuram, unde, vel ob hanc rationem, diversitatem materiæ, etiam agnoscant, necesse est. *Chymicorum* denique producta elementa, dubio investigandi modo, ut superius monui, cum sint producta, hinc, dubia admodum sunt: Accedit, quod, & illa producta non sint corpora simplicia sed composita, quod productorum diversus sapor, odor & effectus varii, confirmant. Neque numerus eorum ternarius, aut quinarium sufficit, cum plura corpora numero, ex uno eodemque corpore, produci adhuc possunt. *Tachenianorum* autem, admodum insipida sunt, & produnt fautores eorum, se ignorare, quid ea sint? cum, si acida cum alcalicis effervescent, ea sint acida & alalia; cui tamen consuetario, experientia contrariatur, hac enim constat, alalia cum alcalicis, & acida cum acidis, effervescent. Unde patet, recte acutissimum *ARCHIBALDUM PITCARNIUM* in *Diss. de opera, quam præstant corpora acida, vel alcalica in curatione morborum. §. I. & II. p. m. 136.* dixisse, eas ignorare, quid per voces acidi & alcali intelligant. Immo in universum, de elementis Chymicorum illud tenendum est, quod ipsimet ignorent, quid per voces, quibus, elementa sua designant, sit intelligendum? prout id fusius exposuit comprobavitque, *Celeb. HERM. CONRINGIUS*, in *Dissert. de Chymicorum principis corporum naturalium.*

## §. IX.

Unde, illud certo colligere, jam quivis a præjudicio liber potest, elementa omnia prædicta, aliorumque Philosophorum, non convenire cum descriptione elementorum generali, quippe cum his illa, minime applicari potest, in minimo etiam momento. Quare, hæc videntes, plurimi Philosophiæ Naturalis cultores industrii, constituebant equidem, etiam more recepto, & numerum elementorum, exemplo *BERNHARDINI TELLESII*, (qui in commentario de rerum natura juxta principia propria, licet principia *PARMENIDIS*, recoxisset, atque ignem, cælum & terram elementorum nomine insignivisset, dubius tamen & de his exstitit, ut pro certo quidquam de illis, statuere haud voluerit) attamen non ita mordacitus hæc defendere intendebant, ipsi dubii existentes, de rei veritate. Verum hi, pejores adhuc mihi esse videntur, illis, hi enim videntes insufficientiam elementorum, in constitutione corporum naturalium, eandem tamen, propalare haud volebant, multo minus ulteriori inquisitioni, ex qua certitudo aliqua haberi potuisset, insistere intendebant, sed cum mos receptus, in scholis Physicis, requirebat, constituere quædam principia, in corporum productione & resolutione necessaria, hinc malebant cum scholis constituere talia, quæ impossibilia sunt, quam certitudini studere. Alii, qui saniores esse volebant, elementorum descriptionem superius allatam, rejiciunt quidem, huicque in locum aliam substituunt, ac præeunte, *IOH. ANDR. FISHERO* in *principiis Philosophiæ naturalis Cap. II. Thes. 2. p. II.* Elementum dicunt esse corpus sensibile, e principiis conflatum, & postmodum corporibus quam plurimis, infra se positis, pro existentia inserviens. Verum hæc, uti revera saniora sunt Philosophiæ naturalis conamina; attamen non sunt affecuta adhuc finem eum, quem assequi debebant, ex præpostera enim libidine, secundum morem pessimum, in systematibus Physicis receptum, determinandi numerum elementorum, factum, quod & hi a vero longissime abiverant, ad quod tamen ipsis, jam præmuniverat aditum, descriptio elementorum laudata;

data; nam & hi non fuerunt contenti, profiteri, quod numerus elementorum, indagari haud possit, ob multitudinem & diversitatem, corporum indefinitam, hinc factum, quod cum laudato ante *Aubore l. c. Thef. 4. p. 12.* numerum binarium constituent, ac corpora omnia, ex aqua & terra constare dicans. Verum & hæc laborare difficultatibus elementa, licet probabiliorum eorum descriptionem exposuerint, quis cordatiorum non animadvertit? Præter enim, quod ea generalia admodum sunt, illud quoque liquet, longe plura adhuc ingredi corporum constitutionem ipsam, cum & ex confessione Cl. FISCHERI, hæc ipsius elementa, alia adhuc ignoscant; dices itaque illos optime fecisse, qui numerum elementorum etiam maxime auxerunt! quos tamen tantum præstitisse, quantum alii, licet numerum etiam auxerint elementorum, facile statuere licebit, præsertim, si quis paulo severius scrutetur, quantum hæctenus in Physicis, in explicatione essentiarum corporum reali præstitum sit, ubi illico apparebit, quod maximus adhuc in illa reperiatur defectus, unde etiam hi multiplicatores tantum præstare poterant, quam alii, cum naturam corporum hæctenus haud ita notam habuerunt, qua certi fuissent, se essentias corporum revera cognovisse. Profecto, hic, si ullibi profiteri debet veritas asserti PAVLI AMMANNI, in *Archæi Synopt. Præf. p. m. 485.* dum inquit: *Ubi est vera Physica? vel quis est verus Physicus? aut quis habet naturam in numero? Nullus adhuc mortalium: Nihil dicam de monadibus Illustr. GODOFRIDI GVILIELMI LEIBNITII in Prin. Phil. move Geometr. demonstratis a MICHAELE GOTTLIEB HANSCHIO editis. §. I. seq. p. 1. sequ.* quippe, cum, uti tenui meo ingenio concipere licuit, eadem abstracti quid involvant, & non nisi in proprietatibus quibusdam, aditioneque virtute diversa, ab atomis Epicureorum differant, prout id suo tempore luculentius exponere intendam.

## §. X.

Sed prolixior fueram, in his enarrandis quam quidem necessum erat, spe tamen fretus, quod hæc prolixitas, aliquam excusationem inveniet. Ratio enim mea potissimum erat, quæ

me impellebat hæc scribere, ut systematum Physicorum corraforibus, oculi aperirentur, quo semel ex somno excitati, jam tandem aliquando discerent sapere, ne amplius seductioni a vero ansa præberetur illis, qui ex similium librorum lectione aliquam noticiam Physices haurire volunt, quippe qui nulla instructi notitia rerum naturalium, facillime decipiuntur. Atque hæc, quæ hæctenus generaliter admodum prosequerbar, jam nunc etiam in speciali demonstrare animus est, elementorum videlicet doctrinam, uti supervacaneam, sic quoque sterilem nationalem ac inutilem esse, ac retardare impedireque naturæ mystas, quo ad interiora naturæ, vere penetrare & pervenire, hæcque ex asse cognoscere possint. Impedimentum itaque majus cum sint, quam auxilium in vero rerum naturalium scrutinio, nemo tam ineptus esset, qui non his rejectis solidiora certioraque quæreret subsidia, quibus adjutus, majores quam unquam progressus in historia naturali faceret. Unde nec mihi vitio vertetur, si in particulari & ulterius elementorum demonstraturus sum incertitudinem. Non autem est animus, singularum sectarum principia discutere, cum instituti ratio alia abs me exponenda exposcat; sed cum de terra medicata Tockayensi scribendum mihi est, unice terræ elementum exanimare intendam, numque hæc jure meritoque hoc elogio a Physicis & Chymicis fere omnibus, concederetur atque excipiatur. Illud autem probe observandum est, quod dissentiant elementorum fautores, circa determinationem, quid terræ nomine intelligant; alii enim, non hanc quam inhabitamus terram, sed quæ in prima creatione a Deo fuerat creata, antequam alia corpora producebantur, elementi nomine vere venire asserunt, cum illa simplicissima fuerit, uti quidem vult *CHRIST. VATERVS l. c. P. sp. Sect. I. cap. III. Tb. II. p. m. 23. seq.* Alii vero, qui saniores esse volunt, teste *Celeb. IOHAN. FRANC. BVDDEO, Phil. Theor. Part. IV. p. m. 270.* admittunt quidem, quod hæc corpora elementaria, quæ cernimus impura sunt, dari tamen loca, in quibus pura reperiri possint. Alii, qui itidem asserunt, hanc quidem nostram terram esse elementarem, sed hujus mixtiones solummodo esse accidentales, uti quidem statuunt

statuunt *CONIMBRIGENSES*, in *Phys. Tract. de elementis sect. 1. Qu. I.* Alii autem, globum terraqueum sub elementi terrestris nomine nobis exponunt, uti fecit *laudatus supra J. A. FISCHERVS l. c.* Verum enim vero, uti laudati aliique plurimi elementorum fautores, non conveniunt, in describendo terræ corpore elementari, sic quoque hoc ipso produnt semet ipsos ignorare, quid terræ elementaris nomine constituent. Illi enim, qui primam creationis materiam, sive terram, primo a Deo creatam, elementi loco nobis proponunt, demonstrare prius tenentur, qualis illa fuerit terra? sic facile ex post videre licebit, num eadem, jure quodam, elementi elogio excipi possit. Quæ enim ingenium acutissimum, etiam contra scripturæ sensum finxit, *J. H. BURNETTI* in *Tellur. Theorica sacra Lib. II. Cap. XIII.* inania sunt, dum primis mundi seculis, æqualem fuisse telluris formam, & destitutam mari, altitudinibus montium & inæqualitatibus aliis, eumque ad solem obtinuisse situm, qui nullas aëris temperiei motusque mutationes, nullas tempestatum anni, quas nunc sufferimus vicissitudines admiserit; at vero illuvie ista fatali, mutata æquali illa telluris forma, variis mutationibus & vicissitudinibus, tellurem obnoxiam factam fuisse aucter assertit. Verum nec hæc, licet vera essent, ullum aliquod argumentum præberent, elementorum patronis, quibus demonstrare possent, diversam fuisse terram, ab hac nostra, quam jam incolimus, multo minus quod statuere possent, antediluvianam fuisse simplicissimam. Posito enim concedamus cum *Illustri J. G. Nob. Dom. a BERGER.* in *Diss. de vita longa §. VIII. p. 12. sequ.* quod dissolutis in universali illo diluvio rerum compagibus, terra cum fossilibus variis confusa sit, ita, ut impurior facta fuerit, tamen tutus existimo, neminem tam stolidi ingenii futurum, qui inde colligeret, mixturam suam atque compositionem, ex diversis partibus peregrinis, sive aliunde advenientibus, terram in diluvio accepisse, adeoque terram antediluvianam simplicem & puram fuisse concludet; Quippe cum doctissime demonstravit *JOH. WOODWARDVS* in *Specim. Geogr. Phys. P. VI.* ex terræ ante-diluvianæ reliquiis & imprimis herbarum eadem cum nostris varietate, eundem

dem olim ante diluuium, in terra ordinem rerum & successio-  
nem, cujusmodi hodie observatur, & cum una ejus successio-  
nis causa sit, solaris varietas caloris, quæ tum tristitia contrahit ter-  
ram, tum vicissim lætificat, eundem etiam terræ situm ad solem hu-  
jusque motum constantissime conficientem vicissitudines anni-  
verfarias, cum salute & conservatione rerum omnium fuisse. Ac-  
cedit, quod quæcunque, per diluuium universale, in terra fuerint  
confusa, jam & terram antediluuium constituisse. Cum omnia  
a Creatore, in prima creatione fuerant creata, metalla & minera-  
lia, adeoque vel hoc ipso facies terræ ante diluvianæ, demonstra-  
ri potest, quod eadem fuerit cum terra nostra. Denique & il-  
lud notari debet, aquas diluuii, tantum supra terram, omnia vi-  
uentia destruxisse, non vero intranea terræ commutasse confu-  
disseque. Si vero nec his uti vellent argumentis, sed unice ad  
creationem ipsam provocarent, dicendo, quod terra sub initi-  
um, ante omnium corporum productionem fuerit a Deo creata,  
adeoque hæc, tanquam principium omnium corporum admitti  
debet. Verum his acute respondet *Celeberr. MORHOFIVS in Po-  
lybist. Tom. II. lib. II. Part. I. Cap. III. §. 2. p. m. 159.* inquit:  
*Quod jam attinet historiam creationis, pertinet eequidem illa ad con-  
templationem Physicam, ita tamen, ut Theologicæ potius consideratio-  
nis, quam Philosophicæ sint. Nam certe, qui hic vera, adequata &  
sufficiencia Physices principia quærunt, frustra quidem mihi laborare  
videntur. Quoniam enim natura, nunc in istum ordinem redacta,  
alia, generationis scilicet, via incedit, ad quam principia na-  
turalia dirigenda etiam sunt, ex sola creationis historia rem omnem  
non conficiemus, quamquam negari id non possit, quoad syndaxin hu-  
jus universi inde desumi multa posse. Specialia vero corpora natura-  
lia, quomodo mista vel composita sint, nunquam inde discemus. Fue-  
runtque alia certe principia mundi creandi, quam nunc sunt corpo-  
rum naturalium creatorum. DEVS enim ex nihilo creaverat universi  
hujus principia, unde postea producta esse omnia corpora, apud MO-  
SEN quidem legimus, sed quomodo, ac qua ratione producta, illic non  
traditur. Si itaque eadem nobis terra est, quæ erat antediluvia-  
nis, atque in ipsa creatione necesse est, quod & simplicitas, quam  
quidem*

quidem adscribunt necessariam nostræ terræ, eadem esse deberet, quæ fuerat olim; at cum simplicitatem terræ demonstrare haud possimus, necesse est, ut credamus, nec ante diluvianam, nec in creatione prima creatam, fuisse simplicem, sed maxime compositam, sive ex pluribus aliis corporibus constantem. Sed hanc mixtionem terræ, cum alii dicant esse accidentalem, hinc & hoc loco argumentum præberet, ad quod diluendum, multis ambagibus haud opus est, quippe cum concedi omnino debeat, accidentia, non facere ad rei alicujus essentiam: Verum hic de terra quaritur, an hæ partium diversarum mixtionem sint accidentales? accidens enim a corporibus abesse potest, salva corporis existentia & essentia: sed quis dicet, hanc mixtionem a terræ corpore abesse posse, sine destructione essentiæ ipsius corporis, nisi corpus terræ plane sub alio conciperet schemate? At inferunt, dari tamen terras artificiales elementares, quæ omnino puræ & simplices sunt, & existunt absque permissione aliarum partium; verum quis adhuc unquam talem præparavit, quæ omni corpore alieno esset libera, præparatio enim illa terræ elementaris, quæ fit lotionem & calcinationem, nihil elementaris terræ inesse probat: Tractatur enim terra aqua & igne, adeoque toties, quoties aqua & ignis adhibentur, his ipsis, eadem terra turpiter inquinatur. Audiamus iudicium de terra Chymicorum damnata, quam simplicissimam esse dicunt, *Celeb. JOH. BOHNII in Diss. Chymico-Physicis, Diss. I. §. 15. p. m. 14*, dum inquit: *Nec major terræ vegetabilium damnatæ inest simplicitas, ratione cujus elementi nomen sibi arrogare posset: recordor siquidem, terream illam substantiam, quæ post salis tartari calcinationem sufficientem, dum hoc per deliquium fuit, remanet & a sale secernitur plane insipida, spiritui vini tincturam satis intensam induxisse; sine dubio, quod per calcinationem vehementiorem terreæ atomi, cum salinis aliquo modo virificatæ, per aëris vero contactum denuo separatæ has spiritui vini concesserint.* Videntes itaque aliqui, quod suis exceptionibus haud quidquam efficere possunt, unde & fictiones moliuntur, quo tantum theoria eorum cerebrina inconcussa maneret: Concedunt itaque, terram nostram impuram omnino esse, sed dari  
tamen.

tamen loca, in quibus pura reperitur: Verum his bene jam respondit, *laudatus BVDDEVS l. c.* quod hæc loca, cum a nemine demonstrata sint, nec ostendi queant, in quibus pura reperiri possit terra, hinc nec quisquam antequam demonstrabitur, fidem his fictionibus adhibere tenetur. Illi vero, qui licet impuritatem corporis terrestris agnoscunt, illud tamen inter elementaria corpora numerant, mihi plane absurde philosophari videntur, non enim sola aqua & terra, terram hanc nostram constituunt, sed & plurima alia, quæ etiam non tantum ex terræ & aquæ partibus constant, sed admixtas præterea alias habent partes, prout id analysis Chymica, solutiones per menstrua aliaque resolutionis adminicula confirmant. Accedit & hoc, de quo præclare philosophatur, *Celeberrimus J. B. ROESCHELIUS in Dodecade paradoxorum Physicorum Paradox. I. §. 3.* dum ait: *Ex quo illud saltem obiter notandum consequitur, si hanc unius terrestris elementi pene infinitam particularum varietatem consideremus, quam tot corporum, in quibus dominatur, tot metallarum, mineralium, salium, sulphurum, marcasitarum, lapidum sine numero, terrarum pretiosarum medicatarum, &c. productione prodit, in unica ejus profunditate, tot nobis objici elementa, quot vix capere, multo minus enumerare queamus.*

### §. XI.

Sed his diutius inhære, amplius haud placet, quippe cum res ipsa pro mea loquatur adsertione. Quotidiana enim constat experientia, optima omnium rerum magistra, diversissima corpora contineri in sinu terræ, ita ut numerus eorum fit indefinitus, nec omnia adhuc in notitiam humanam pervenere. Quæ si vera sunt, necesse est sequatur, quod omnia corpora constituentia terram, citius dici possint elementa, quam generalis illa terræ notio; at cum corpora illa, terram constituentia, numero sint indefinita, plurimæque haud cognita, hinc & is impossibilia tractaret, qui hæc omnia in elementorum numerum, referret. Hæc videntes Sinensium Philosophi, qui magis ad praxin in Physicis respexerunt, specialiora elementa constituerunt; observantes enim, tam varia corpora fovere terram solam, hinc

terræ

terræ elementum, constituere dicebant, non modo terram stricte dictam, sed & metallum ac lignum huic adhuc adjunxerunt, testantibus id, *MARTINO MARTINIO, THEOPH. SPIZELIO, JOH. NEUHOFIO, JOH. ADAM. SCHALLIO, ATHAN. KIRCHERO & MORHOFIO*, horumque qualitates sapores esse dicebant. Atque horum elementa, licet cenfoream virgulam effugere haud possint, illud tamen fateri cogimur, quod hi magis ad praxin Physicam respicientes, saniora quæque protulerint, quam unquam alii excogitarunt Philosophi; quis enim ullum hætenus vidit Philosophum, in partes constitutivas elementorum inquirere, quod illi tantum, constitutione elementorum tentantur? Et quamvis accuratius determinare elementa, Sinensium Philosophi tentaverunt, nihil tamen præstiterunt majus, quo adjurari quis in resolutione corporum in suas partes, possit, quippe quæ adhuc specialiora producit. Non enim tantum vegetabilia, metalla & mineralia profert terra, sed plurima adhuc alia sunt, quæ ad horum classes haud referri possunt, corpora, prout id vel ex solis metallurgicis scriptoribus, videri potest. Intra immensam enim terræ profunditatem, quæ est juxta sententiam *JOH. CHRISTOPH. STVRMII in Phys. Electiva Part. Gen. Lib. I. Cap. V. p. m. 199. 1700.* circiter milliarium germanicorum, innumera reperiri corpora, præter ea, quæ vel ad metallorum, lapidum ac mineralium stricte si dictorum classem referri possunt, quæque usus in societatibus & commerciis hominum stabilendis; in sanitate corporis præservanda, conservanda, restauranda; alimentis ad necessitatem, pariter ac delicias affatim gignendis &c. maximi & egregii sunt, ac indigentia & avaritia, hætenus optime succurrebant. Accedit, quod humana audacia vix ad unum milliare hæc dum penetraverit, cum tamen in tanta profunditate verisimile sit, nec ullus dubitare potest, latitare adhuc innumera corporum genera, quæ nec hætenus innotuerunt, nec ulli fortasse posteritati unquam innotescunt. Quare inaniter omnino laborant, qui omni conatu, adhibitaque etiam laboriosa industria, elementa stabilire conantur. Satius profecto agerent, si producta in resolutione corporum annotarent,

nec

nec illico eadem generalia facerent, quæ omnino omnibus corporibus applicarentur, semper præ oculis habendo, symbolum *REG. SOCIETAT. ANGLICANÆ. Nullius in verba ac nunquam otiosi*, ut est symbolum, *ACAD. CÆS. LEOPOLDINO-CAROLINÆ, NAT. CVRIOSOR.* opus hoc prosequerentur, sic spero futurum, ut longe alia facie superbiat Philosophia naturalis, quam unquam.

§. XII.

Ex illis autem, quæ terræ nobis sinus exhibet, plurima quidem, uti nobis cognita sunt, tamen nullus tam audax futurus est, qui gloriaretur nos contenta terræ habere innumerato, sic quoque etiam concedere debemus, plurima adhuc esse, quæ nobis sunt ignota, id quod vel nuper propalatus sal catharticus, a *CL. ANDR. HERMANNO* in *Diss. de Sale Cathartico in fodinis Hungaria recens invento.* Satis superque testatur, quippe qui alias ex aquis medicatis, præparabatur, hic vero naturaliter, in fodinis florescere observatur. Ut plura alia taceam, terræ metallicæ messem uberrimam exemplorum nobis sunt exhibituræ, quippe ex quorum genere, plurimæ successu temporis, sunt adinventæ, etiam constitutione sua intra sese diversæ, ita, ut ex diversis partibus & hæc terræ portiones exiguæ, constituant analysi id confirmata Chymica, & admittentibus etiam, consentientibusque elementorum patronis, uti id vel ex eorum descriptionibus, liquido patet; sic enim laudatus *VATERVS* l. c. *Sect. V. Cap. III. Th. I. p. m. 389.* has describit, inquit: *Terræ minerales sunt corpora naturalia, heterogenea, maxime tamen terrea, sicca, porosa, friabilia, per se omnis saporis & odoris expertia, indeque terræ in specie dictæ.* Unde illud facile colligere licet, si eadem terræ corpora sunt heterogenea, terram sine iudicio esse relata inter corpora elementaria, quippe cum hæc maxime ad terræ naturam accedant, attamen heterogenea esse corpora, ab ipsis elementorum patronis existimantur. Imò non has terras solas, sed & alias omnes esse corpora heterogenea, confirmant tot terræ species, admodum inter sese diversæ, de quibus audiamus *GABRIELEM TALLOPIVM* *Tractatu de metallis seu fossilibus* *Cap. V. p. m. 307.* qui sic

sic inquit: Nam alia terra est rubra, alia candida, alia hoc, alia illo colore prædita. Dantur similiter amara, acres, dulces, pingues, macra, ustibiles, non ustibiles, densæ, raræ, & alia aliis inter se qualitibus distinctæ. Quæ, cum sua certitudine radiant, haud esse necessarium existimo, quo pluribus demonstrarem, sine iudicio & sine experientia, terram inter corpora elementaria esse relatum, quippe cum certissimum sit, nec a quoquam in dubium vocatur, nullam unquam a patronis elementorum, vel exiguam portionem terræ demonstrari ostendique posse, quæ omnino vacua & libera esset, a consortio & conjugio alterius corporis; quæ enim *BERNHARDVS SWALVE in Natura & Artis Instrumentis pugilicis Alkali & Acido p. m. 70. 77. & 79. de terra damnata nugatur ac fabulatur, ea experientiæ contrariantur, ac superius jam sunt castigata, ita ut nullum amplius argumentum præbere possint, elementorum patronis, quo assertionem satis libere protegere defendereque liceret: quod vel observatio in ACAD. REG. SCIENT. PARISIENS. facta comprobat, dum terras damnatas, in pulverem antea redactas, radiis solaribus expositas in foco speculi ustorii, quod in bibliotheca regia asservatur, in vitrum conversas fuisse, testatur, prout refert JOH. BAPTIST. DUHAMEL. in Reg. scient. Acad. Hist. r. Lib. II. Sect. I. Cap. II. V. VII. p. 152. quippe cum ex terra damnata pura atque ab omni corporis alterius conjugio libera, nunquam vitrum fieri potuisset, testantibus id experimentis vitrariorum pene innumeralibus. Quare hæc videntes defensores elementorum, nullatenus terris præsertim Medicinalibus simplicitatem adstruere voluerunt, quin potius heterogenea eadem esse corpora unanimi consensu confirmarunt pronunciaruntque. Observantes enim diversitates earundem, non modo in colore, sapore, sed & textura ac consistencia, atque partium minimarum constituentium, illico concludere debebant, hæc ex uno eodemque principio haud esse constata, sed diversas corporum species, diversitatem quoque harum terrarum efficere, ita, ut pro varietate admixtorum variæ quoque habeantur terræ.*

## §. XIII.

In eo autem omnes terræ conveniant Medicinales, quod

sint corpora friabilia, arida, inductilia, opaca, & si in aqua soluta fuerint, per filtrum separabilia, differentiam suam, a colore, odore, sapore, corporibus admixtis & locis habentia; quæ omnia eum sensus confirmant, necessarium etiam haud esse puto, quo ulterius & fusius confirmentur, præcipue, eum & vulgum ac mechanicos, de his attributis haud dubitare observamus. Consentunt enim in his figuli & plastæ, fabri lignarii, pictores, fuliones, fabri argentarii alique plures: multo autem minus dissentiunt Physici & Medici, quippe qui terras sigillatas & præparatas medicinales ultro concedunt, his attributis omnino præditas esse, ita, ut ex quamplurimis speciebus, quarum 142. *CL. JOH. CHRIST. KVNDMANNVS in Promptuario Rer. Natural. & Artific. Vratislaviensi Sect. III. Class. V. Artic. X. p. 296. sequent.* in museo suo numerat, unicam invenire liceret, quæ omnino his proprietatibus, esset destituta. Atque hanc potissimum ob causam, ad Medicinalium terrarum classem, tanquam speciale genus referuntur omnes & singulæ. Utque adeo facile apprehendi possit, quænam sit ex terrarum Medicinalium genere? videlicet, quæ proprietatibus & attributis, superius enarratis sunt prædita, quorum rationes inferius tradentur. Et quamvis in his convenire videntur, differentias tamen suas fortiuntur, partim a colore, sapore, odore, loco natali; partim ratione habita effectus, quem præstant, interne vel externe exhibitæ in œconomia nostra animali, partim vero ab admixtis aliis partibus, quæ hæc vel illa præ alia, vel habet peculiariter admixta, aut his destituitur aliisque sibi ad sociatis superbit. Atque de horum differentiis singulis, jam in speciali aliquid dicendum erit.

§. XIV.

Sic colore differunt ipsæ argillæ strictè sic dictæ, ita, ut *Clav. GEORGIUS ANDR. HELVINGIVS in Lithographia Angerburgica. Part. I. Cap. II. p. m. 10. seq.* sex ejus species vel in ipso agro Angerburgico numeraverit, videlicet: Argillam vulgarem, flavescentem, rubricandam sive lateritiam, cœruleam, variegatam, candidam & nigram, quæ omnes in usum figulorum atque aliorum mechanicorum, uti & Chymicorum cedunt. Neque fugit

fugit hanc differentiam & marga ipsa, cujus *PLINIUS*, *Lib. XVII. Hist. Nat. Cap. VIII. p. m. 241.* mentionem facit, ac duplicem denominat, nempe: albam & ruffam, (quamvis plures adhuc species margæ constituit, quarum tamen colores non exprimit, sed horum diversitatem ex aliis fontibus derivat.) At apud *JOHANNEM KENTMANNVM*, in *nomenclatura rerum fossilium*, plures adhuc differentes colore species reperiuntur, ut sunt; sub cinerea, fulva & lutea, quibus addi potest marga saxatilis viridescens, quam descripsit *JOH. DANIEL MAIOR*, *peculiari Tract. de Marga.* Habet quoque & bolus suas ratione coloris differentias, ordinarie enim pallide rubicunda, (qui maxime Bolo Armeniæ convenit, ut & Bohemicæ, quamvis hujus non sit tam intensua) hoc solum nomine officinis pharmaceuticis cognitus est, non tamen erabit, qui & boli candidæ speciem constituit, cum talem Pannonia superior, in copia possideat, nec alia regna eadem destituantur; prout nec peccabit, qui, ut *PETR. POMETVS* in *aufrichtigen Materialisten und Specerey-Zändler, Part. III. Cap. III. p. 84.* refert luteæ glaucæque boli species asserarit, cum in Galliis juxta urbes Blois, Samur & non procul Parisiis, similis coloris inveniantur, prout id etiam testatur ac speciatim de lutea, laudatus *KVNDMANNVS l. c. p. 302.* Ita & creta differentes species exhibet, ratione coloris, quas enumeravit & exposuit sex, laudatus *KENTMANNVS l. c.* videlicet: argentariam, luteam, cœruleam, viridem, nigram & candidam, quibus addi potest ex *OLAVI WORMII Museo*, fusca, & ex *CHRIST. PERSON, Tr. vom Rochliger Stein-Marck*, coloris Perfici. Maxime autem a colore differentias suas sortiuntur, stricto sensu dictæ medicinales terræ, ita, ut in conspectum curiosorum venerint, ex flavo rufescentes, luteæ, cineræ, e fusco flavescentes, rubræ, albæ, ex albo rubicundæ, cœruleæ, variegatæ & virides coloreque roseo & persico, venientes, ac si cujus alterius etiam.

## §. XV.

Neque tantum ratione coloris, variæ & differentes terrarum medicinalium species habentur, sed etiam ratione saporis præcique; imo & ex parte odoris. Observamus enim bolum.

Armenix faporis esse pinguis, subadstringentis & linguæ adhærentis; terram Lemniam adstringentis, non tamen tam mordacis; terram Samiam dulcis & subadstringentis; ochram adstringentis & subacris; cretæ species adstringentis & farinacei; & ut reliquarum species terrarum silentio præteream, illud tantum de earum sapore notandum est, quod quamvis in sapore adstringente conveniant, attamen quædam majorem, quædam vero minorem ejus gradum attingunt & sæpissime, modo plus modo minus de acri aliquo sapore, licet sæpissime, sub obscure admodum, aliquid produnt, ac modo magis modo minus linguæ adhærent. Odore autem, tam accurate distingui haud possunt, ita, ut ex hoc certæ species constitui possint, exiguum enim produnt odorem, qui fere omnibus argillis & terris ordinariis communis est: Illud tamen negari nequit, quod odor is, qui ab his terris spargitur, modo magis, modo minus percipiatur. Sæpissime etiam eas tam gratum proderent sentias, qui violas ipsas æmulatur, qualem in musæo suo curiosissimo habere *laudatum ante KYND-MANNVM l. c.* legimus, gratularique & mihi possum, quod etiam possideam inter alia terram medicinalem, non procul a pago pibilina dicto, in Comitatu Lyptoviensi, ad radices montium Carpathicorum, ad acidulas ejusdem pagi, luteam, adorem fructuum rubiidæi referentem, cujus faporis etiam sunt ipsæ acidulæ, ita, ut exinde colligere debeam, aquas acidulas constituentes, hanc terram vel pernicicare, vel aquas hunc saporem ex radicibus fructuum rubiidæi, eodem loco largissime prodeuntium & crescentium mutuare, ac his terris communicare in transitu debere.

### §. XVI.

Effectus autem quos terræ præstant medicinales, accuratius informabunt eos, qui differentias earum constituere fatagunt. Hic autem eos enarrare, pro nunc nec placet, nec vacat, quos in mechanicis operibus præstant, sed unice eos prosequar brevissimis, quos præstare solent in œconomia nostri corporis. Atque sub initium hujus narrationis, fateri omnino in antecessum cogor, quod omnis terrarum medicinalium virtus consistat,

in

in refrigeratione & meatuum obstructione, sed differre specie eadem, cum ab admixtis, aliæ aliam quoque vim acquisivere. Atque hoc optime suo jam tempore novit *DIOSCORIDES de Medica Materia L. V. Cap. XCIV. p. m. 550.* inquit: *Omnis terra ad medendi usum recepta, summam & primam vim habet refrigerandi, meatus obducendi, occludendique sed specie differt, cum alia adjunctis quibusdam ad alia sit utilis.* Quod cum de terris in genere dicitur, facile quoque id conjicere & in specie quilibet poterit, & has terræ portiones, sive fragmenta, iisdem viribus gaudere, ac eandem efficaciam in praxi Medica præcipue præstare, adeoque omnes, vim adstringentem & temperantem possidere. Illud equidem in genere sentire de virtute terrarum medicinalium quilibet potest; attamen neminem existimo fore, qui non mecum, ac celeberrimis Medicæ artis professoribus, quorum vestigia in experientia & mihi comprobata, nunc etiam colo, prædictis quoque terris, particularem aliquam virtutem adscripserit, ob texturam earum partium ad invicem haud æqualem, uti ex statim dicendis apparebit; hinc etiam factum existimo, quod a *JOH. FAC. a BRVNN. in systemate Materiae Medicæ passim*, hæc laudatæ terræ inter alexipharmaca, repellentia, emplastica, adstringentia, vulneraria, hæmorrhagias sistentia, imo & nephritica, numerentur. Atque hoc non sine injuria, prout ex infra dicendis fati superque apparebit. Illud autem nemo credo ita intelliget, ac si omnes omnino terræ medicinales, eandem & æqualem exerant in œconomia animali effectum, cum toto die constet, unam alteram virtute sua superare, quam actu similem habere, creduntur, quippe pro ratione suorum admixtorum, secundum quorum proportionem & effectus ipse, modo major, modo minor existit, imo singularis & quasi proprius constituitur. Atque id est, quod jam demonstrari debet: Argillæ itaque omnes, uti ficcare illis proprium est, præsertim si arefactæ fuerint, sic vim adstrictivam quoque possident; Verum alios adhuc exerunt effectus, Bolus non modo Armeniæ, sed & Bohemiæ, ac aliarum terræ regionum, nam non modo communem vim adstringentem cum argillis, sed & majorem ostendit in hæmorrhagiis ac fluxionibus

nibus alvi, aliisque tempeſtively adhibita, imo & atexipharmacam poſſidere vim aſſeritur, ac externe vulneribus adhibita cicatricem inducere, & inflammationi reſiſtere ſtatuitur. Terra autem Lemnia, huicque ſimiles & æquales, uti quidem eaſdem cum bolo laudata poſſidere virtutes dicitur, illud tamen de eaſdem ſingulare etiam aſſeritur, quod ſanguinem increaſſare, huicque tonum & debitam conſiſtentiam conciliare, ſudoremque pellere, acrimoniam humorum temperare, eorumque commotionem moderare, ac villos partium roborare, poterit. Terræ Sileſiæ variæ, eandem virtutem habere prædicantur, quæ tamen etiam variare ſolet, pro varietate ipſarum terrarum; At ochræ, uti ſimiles quoque effectus adſcribuntur, cum terra Lemnia ſic quoque & vis ejusdem, diſcutiendi, excreſcentias reprimendi, quodque maximum eſt, & Lithontriptica, cujus cauſa etiam, a laudato BRVNN. l. c. p. m. 137. in eandem claſſem relata eſt, id quod & GALENVS confirmat, L. V. de Facult. ſimpl. Medicament. Cap. XIII. laudatur. Terra Samia dicitur in virtute ſua convenire cum bolo Armeniæ, JOH. RONODÆO in Diſpenſat. Medico p. m. 517. at ſingularem ejus efficaciam, laudat PLINIVS l. c. Lib. XXXV. Cap. XVI. p. m. 498. dum oculorum medicamentiſ illam Samiæ terram quæ aſter appellatur, admiſceri refert, atque DIOSCORIDES l. c. p. m. 551. qui terram Samiam ſenſus hebetare, ſtomachicam eſſe, & contra ſerpentem morſus & venena, ex aqua pactam, ſervire, ſcribit. Terra quoque Chia, quamvis externo aſpectu & viribus, ut vult AVTHOR ſyſtematis Phyſici Erneſtini Lib. IV. Part. ſp. Cap. IV. §. XXIV. p. m. 470. Samiæ affinis ſit; attamen eodem etiam AVTHORE l. c. p. m. 471. ad ambuſta quoque commendatur, ac uti refert PLINIVS l. c. etiam ad conciliandam, ſexui ſequiori potiſſimum, (hic enim maxime formoſitati ſtudet) pulchriorem formam faciei, vel etiam totius cutis. Ex quibus patet, quod non tantum hæ terræ, etiam quoad effectum, quem in œconomia noſtra animali præſtant, ſed & aliæ plurimæ, uti & margæ ac cretæ ſpecies, quorum effectus diverſos adducere haud volui, quippe cum de his, materiæ Medicæ ſcriptores, fuſe ſatis commentati ſunt, ſuas ſortiantur differentias, id quod cum optime

optime animadvertisset, DANIEL SENNERTVS in *Epitom. Scient. Natural. Lib. V. Cap. I. p. m. 349.* hinc perplacet ejus judicium quoque adponere, qui sic inquit: *Sunt præterea & alia terrarum genera multa, quæ partim Medicis, partim aliis artificibus mechanicis in usu sunt, quæ raritate, tenacitate, colore, sapore usuque differunt. Et quantum ad usum Medicum, alia adstringunt, refrigerant & siccant, ut Eretria, Samia, Lemnia, Armenica, quædam cum adstrictione mordacitatem aliquam habent, aut ex nitro, ut Cbia, Selinusia, Cimo- lia, Pignitis, quæ abstergunt, aut ex alumine ut Melia & thermarum luta varia, quarum ad podagricos & maligna ulcera usus est, aut ex birumine & sulphure, quid obtinent. Sunt & quædam terre atramentosæ, quæ continent Cholcitin, Myssi, Sori, Melantheriam, quædam plura horum simul continent. Et hinc etiam est, quod Celeb. ETTMULLERVS in *Comment. Schroed. p. 831.* ex variis præcticis commemorat, quod inter sigillatas terras Germaniæ Strigoniensis in iis præsertim morbis, qui cor sanguinemque afficiunt, in usum trahatur. Terra vero Lignicensis in capitis arduumque potissimum morbis ac præcipue adversus philtia, commendatur. Atque hi, quidem effectus terrarum medicinalium varii & inæquales, eum ex nulla alia causa, tam differentes, a Medicis clinicis observentur, quam admixtis & textura partium, jam juvabit etiam paucis inquirere, quænam illa differentia patium, in prælaudatis terris sit, unde tam differentes effectus promanare possent?*

### §. XVII.

Textura itaque terrarum medicinalium, cum investiganda est, ad tactum & conspectum earum, maxime attendi debet, hæc enim adminicula produnt earum densitatem, raritatem, friabilitatem, ponderositatem, lævitatem, duritiem, mollitiem, asperitatem, levitatem consistentiam majorem vel minorem, &c. Sic enim toto die observamus, alias terras densiores esse, ut holum Armeniæ veram, æque ac Bohemicam, terram Lemniam, Silesiacam, quippe manibus tractatæ, easdem haud colore suo insciunt; alias vero rariores, uti margæ omnes, in specie autem agaricus mineralis dicta, sive lac lunæ rubicæ & boli ordinarii.

POIRO

Porro existunt quædam terræ friabiliores aliis, ut boli ordinariæ, rubricæ, terræ quædam sigillatæ Silesiacæ, ac ochra acidularum speciatim. Aliæ quoque notantur graviore, ut creta, bolus Armeniæ, terra Lemnia, Silesiaca, aliæ vero læviores, ut lac lunæ, terra Tripolis, rubrica &c. ac rursus aliæ inveniuntur duriore, ut omnes boli ac terræ Lemniæ, æque ac Silesiæ, creta; aliæ autem molliore, ut lac lunæ, terra Chia, &c. Item, sunt quoque aliæ, quæ superficiem habent asperam, quales sunt omnes boli ordinariæ, rubricæ, terræ sigillatæ simpliciore; aliæ vero, quæ superficiem lævigatam possident, ita, ut tactum similem efficiant, qualem corpora sive massæ mucilaginosæ ac pingues exhibent, ut boli ac terræ quævis optimæ notæ. Produunt quoque consistentiam aliquæ firmiore, ut bolus Armeniæ, Bohemiæ, terra Lemnia & quædam Silesiacæ, creta, &c. aliquæ vero minorum, ut ochræ acidularum, rubricæ ac terræ etiam sigillatæ simpliciore, &c. Ex quibus quidem differentiis, quivis facile colligere potest, quæ ex terris medicinalibus, pro optimis in arte medica haberi debent, quippe cum ex his differentiis, veræ notæ terrarum medicinalium characteristica haberi possunt. Illud autem optime notari debet, quod optimarum terrarum densitas, ponderositas, durities, friabilitas &c. etiam variare soleat, ita, ut si examen aliquod accuratum harum proprietatum, institueretur, facile inveniretur, quod & optimæ terræ, ad invicem librata, ut ita loquar, aliquam in his differentiam patiantur, ita, ut aliquæ modo magis, modo minus, ad has accedant proprietates. Quas differentias, cum longum foret inquirere, modo prætereo, existimans sufficere, si modo in genere de his sit propositum, præcipue cum inferius specialiora quoque tradentur, unde facile ad alias terras fieri poterit applicatio.

## §. XIX.

Quæ quidem diætæ differentia, uti nos ducunt, dum harum rationem, investigare intendimus, ad intimiora earum penetralia scrutanda; sic quoque facile colligere licet, non posse, unam eandemque esse partium mixturam, in præfatis terris medicinalibus, sed easdem diversitates etiam in compositione agnoscere.

agnoscere. Quare cum hac investigatio in Physicis maxime exoptatur, in Chymicis vero largiter sapiusque frivole promittitur, hinc etiam has differentias præterire haud potui. Cum autem omnium consensu terræ quæcunque, nitro fertiles modo magis, modo minus esse dicantur; imo ut *Illustr. VERVLAMIVS in Hist. vitæ & mortis p.m. 237. cui & ROBERTVS BORLEVS*, in suis scriptis passim assentitur, nullam existere terram, quæ nitro imprægnata non esset, statuit, dum ait: *Nitrum deprehenditur esse veluti spiritus terræ: etenim certissimum est, quamcunque terram licet puram, neque nitroso admixtam ita accumulata & ætata, ut immunis sit, a radiis solis, neque emittat aliquod vegetabile, colligere etiam satis copiose nitrum.* Sic quoque & terris medicinalibus id tribuere bono jure posse, quis non animadvertit, præcipue, cum & *JOH. SCHROEDERVS in Pharmacop. Medico-Chymica Lib. III. Cap. II. p. m. 310. sequ.* & salis alcalici mentionem faciat, quod ex terra sigillata elicitur. Hoc uti quidem a nemine negari potest, sic quoque facile largiri ab æquis rerum existimatoribus necessario debebit, quod non omnes terræ, æqualem sunt nactæ portionem salis nitrosi, (vel si vis alterius alicujus fixi, cum, ut in *Tract. meo de calore atmospherico Cap. IV. Obs. XVI. p. 36.* asserui, naturæ ejusdem sit) nactæ sint, uti id effectus & textura earundem prodit. Videmus enim quasdam terras, plus salis possidere, ac præcipue illas, quæ densioris sunt naturæ, quasdam vero minus uti id observamus in terris admodum friabilibus & texturæ rarioris. Imo quod magis est, sal, qui ex ochra habetur, accedere videtur, ad falsi amaricantis naturam, quale ex acidulis elicitur, & hoc non ex alia ratione, quam quod in ochra omni acidularum, thermarum &c. particulæ pyrites sulphureæ & ferreæ, demonstrante id fultius *Illustr. J. G. Nob. Dom. a BERER. in Comment. de Thermis Carolinis Cap. III. p. m. 18.* & alibi passim deprehendantur, unde sal illud quoque amaritudinem suam habet. Igitur vel sola ochra pro confirmanda differentia, etiam quoad salem esse poterit. Quare mirari haud potest, si & liquor, sive phlegma nitrosum, quod teste *CHRIST. VATERO in Diss. de Spiritibus Chymicis*, ex terris medicinalibus elicitur, non in æquali quantitate, ex o-

mnibus haberi potest, cum id unice a quantitate falis nitrosi admixti dependeat, & pro varia hujus quantitate, etiam quantitas modo major, modo minor phlegmatis nitrosi ex terris medicinalibus elicatur. Et hinc est, quod ex ochra acriorem acquirimus spiritum; atque ex terra d' Ombre dicta, *ACADEMICI PARISIENSES*, teste laudato *Dn. HAMELIO, l. c. Lib. II. Sect. I. Cap. II. N. III. p. m. 151.* acerrimum spiritum proliciebant, qui iisdem pene donabatur viribus, quas spiritus falis exerit. Illud quoque singulari industria *laudatorum ACADEMICORVM* habemus, quod ex terra quadam viridi, quae ex Germania illis mittebatur, multum falis volatilis in primis liquoribus exstillatis acqviserint, supermanente in capite mortuo sale, ejusdem cum sale marino saporis, prout *ante laudatus refert Dn. HAMELIUS l. c. N. IV. p. 151.* Neque tantum ob admixtam falis quantitatem variam, terrae medicinales ad invicem differre solent, sed & ob pinguem sive oleosam materiam; Visu enim & tactu experimur, diversitates terrarum maximas ac praecipue saponaceam velut pinguedinem earundem, ita, ut facile discernere quivis poterit, quae prae alia pinguior existat. Descripsit autem & modum separandi hanc substantiam pinguem, *laudatus SCHROEDERVS l. c. p. m. 311.* quo, si diversas terras tractamus illico etiam videmus, alias majore, alias minore quantitate praeditas esse. Cum autem modus hic producendi & separandi partem unguinosam sive oleosam a terris nihil aliud tradat, quam quod confirmet terras ad tactum unguinosas, etiam plus olei possidere, quam illas, qui asperitate sua tactum manuum nostrarum afficiunt, hinc etiam, non esse necessarium existimavi, specialia de his adferre, quippe cum quemvis proprius sensus de differentiis hisce informare satis superque possit. Hoc autem addi debet, quod simpliciores rubricae, admodum exiguam portionem substantiae unguinosae exhibeant, ita, ut saepius irritos omnes conatus separandi fecerunt, dum ne vestigium quidem substantiae alicujus videre licuit unguinosae; Idem etiam de margis & cretae speciebus statuere experientia edocti possumus. Atque non tantum habita ratione substantiae unguinosae differentes observantur, terras medicinalis

nales, sed etiam ob admixtas partes metallicas; constat equidem multiplici experientia, nullam omnino terram medicinale esse a metallis immunem, sive a partibus metallicis vacuum ac liberam; at nemo adhuc exstitit, qui haud in dubium vocasset, quod æquali omnino proportione, has partes metallicas omnes terræ medicinales admixtas habent, quin potius quivis lubens & ultro fatetur, & in quantitate admixtionis, atomorum metallicarum differentiam maximam haberi, ita, ut aliquæ copiosam partium metallicarum admixtionem, aliquæ vero minorem, aliquæ etiam ad sensum nostrum nullas habere, facili negotio prodant; uti id sedulo experimentatori haud poterit esse ignotum; quippe, qui non tantum ex ponderositate, sed maxime ex colore etiam, admixtionem partium metallicarum, dijudicare capax est. Terræ enim rubræ plus continent de metallicis ramentis quam albæ, ex atro rubentes plus rubicundis; & flave rursus plus albis, &c. Maximam autem partem terræ medicinales participant de ramentis quibusdam ferreis, ita, ut & magnete indagari possunt, quem illico sequuntur, quod potissimum in rubris & ex atro rubentibus, ipsaque ochra, experientia confirmat. Imo si fidere debeamus quorundam authorum, si dicere debeam, nimix credulitati, quibus nihil nisi quod vel solare vel lunare est, placet, & sulphure solis ac lunæ, easdem imbutas esse, uti refert *laudatus SCHROEDERVS l. c. p. m. 309.* sed de hac materia inferius fusius exponetur. Atque ex prædictis commixtionibus partium cum terræ medicinales suas habeant differentias, a quibus omnes eorum proprietates atque effectus, quos in œconomia animali præstant, dependent, prout jam dictum est; sic tamen negari haud potest, easdem etiam in corpore suo terrestri sive basi non esse æquales, prout enim massa illa terrestris, purior vel impurior, crassior vel tenuior, sabulosa vel lapidosa, vel minus existit, hinc etiam suas nanciscitur differentias. Atque hanc ob causam, a materiæ medicæ ac pharmaciæ scriptoribus, commendatur lotio earundem, quippe per quam purior fieri existimatur; quam tamen optime de pharmacia meritis *DANIEL LVDOVICI in Addit. ad Diss. I. Pharmacia moderno seculo applicandæ p. m. 62. sequ.* ut inutilem

utilem, imo damnosam rejicit, existimans, per has decedere ter-  
ris medicinalibus, de virtute & efficacia, quam alias in substantia  
majorem habuissent; in quo asserendo consentientem habet, &  
*laudatum sapius SCHROEDERVM l. c. p. m. 308. ac ZWOELFERVM*  
*in animadv. in Disp. Aug.* Atque ob has differentias adductas,  
alia dicitur a suis authoribus terra soloris, lunaris, vènerea, mar-  
tialis, saturnina &c.

## §. XIX.

Et licet hæ differentia adducta sufficerent, quibus terra-  
rum medicinalium natura, proprietatis & effectus cognosci inti-  
mius possent, nullo modo tamen contenti esse volunt his materia  
medicæ scriptores, sed petunt alias etiam a solo natali. Hinc  
dicitur terra sive bolus Armenia, ab Armenia, quippe cum is ad-  
vehatur ex ea Armenia parte, quæ finitima est Cappadiciæ. Por-  
ro vocatur & terra Lemnia, quia foditur ex fodinis terræ in Lem-  
no insula maris Ægei, hodie Archipelagi dicti, teste *JOHAN.*  
*FRID. HEKELIO, in notis ad Phil. Cluveri Introduc. in Univers.*  
*Geograph. tam veter. quam novam Lib. IV. Cap. X. N. IV, p. m. 380. sq.*  
Vel ut vult *GALENVS teste FALLOPIO l. c. Cap. XXXVIII. p. m.*  
*395.* (qui ipse locum hunc adiverat, adeoque tanquam testi  
occulato, fidem adhibere tenemur) ex specie quadam extra ur-  
bem Hephæstiam hodie Cochino, per sacerdotem Dianæ, quot-  
annis tantum semel, nempe sexto Augusti, teste *JOH. JAC. BOIS-*  
*SARDO de Divinit. Cap. XI. f. m. 181.* efferebatur, non vero ex loco  
paludoso, uti refert *DIOSCORIDES l. c. Lib. V. Cap. LXIII. p. m. 521.*  
Habent quoque officinæ pharmaceuticæ, & terras Silesiacas varia-  
rias, quibus loco boli Armenia & terræ Lemniæ, nostrates, alia-  
rum Regionum Medici hætenus utebantur, in variis morboris  
affectibus ac maxime ideo, quod præciosæ admodum sint extra-  
næ illæ terræ, hæ vero viliori prætio comparari possunt, nec me-  
tuendum est, quod deludi a quibusdam mercatoribus, sed im-  
postoribus potius dicam, possint, quippe cum admodum rarum  
est, videre veram Lemniæ ac Armenia terram, in nostris præci-  
pue partibus, quapropter etiam sincere & vere admonet phar-  
macopæos Londinenses, quod etiam nostris dictum esse volu-  
mus,

mus, SAMVEL. DALE in *Manuduct. ad materiam Medic. Lib. I. Sect. II. Cap. II. N. 4. p. 46.* ne fraudulentè imponerent Medicis, ac quid pro quo, vel aliam terram substituerent veræ sigillatæ medicinali; Atque hæc propterea Silesiaca appellatur, quod ex Ducatus Silesiæ, partim auri aut argenti fodinis, partim vero propriis & sibi quasi dicatis, unice locis eruatur, cujus primus inventor fuerat JOH. MONTANVS eamque præcipue Strigoniensem descripsit, in *Tr. de Terra sigillata.* Sic quoque terræ genus quoddam creta appellatur, ab insula maris mediterranei Creta dicta, de qua videri potest, ANDR. CORVINVS in *font. Latinit. Part. II. sub voce creta. p. m. 144.* Item nominatur & alia terræ species, terra Melitæa, ab insula Melita dicta, cujus superstitiosa sigillatio & usus admodum notus existit. Vid. de eadem THOM. BARTHOLINVS *Epistolarum Med. Cent. I. Epistola LIII. p. 223.* Datur & terra ab insula Samos, in mari Icario Samia appellata; Ut taceam plurimas alias terras, ut Eretriam, Chiam, Selinusiam, (de quibus PLINIVS *l. c. p. m. 498.*) Umbriam, quæ nactæ sunt a solo natali sua nomina, videlicet ab Eretria clarissima urbe insulæ Eubææ, antea dicta Melanais & Arotria, uti refert STRABO *Geogr. L. X.* Porro ab insula Chias, quæ est nobilissima maris mediterranei, inter Samam & Lesbum: Item a lacu Selenusiæ dicto, non procul Epheso, secundum Caistrilacum a mari effuso; atque ab Italiæ regione Umbria nominata, quæ hodie Ducatus Spoletanus vocatur.

## §. XX.

Illud autem maxime notari debet, quod licet prædictæ terræ medicinales differentias suos acceperint ab ipso loco natali, ex quo primo sunt erutæ vel effossæ, attamen cum successu temporis, eadem terræ in variis adhuc regionibus & regionum locis aliis repertæ & effossæ fuerint, alias adhuc differentias acquisiverunt, & quidem etiam a loco natali dictam. Sic bolus quidem Armena dicitur, quod ex Armenia advehebatur, sed cum & Germania, Gallia ac Hungaria, uti superius exposui, hac haud destituatur, hinc habemus a loco natali etiam dictam bolum Bohemiæ, qui ex fodinis Bohemiæ eruitur, uti refert DALE *l. c. Cap.*

*I. N. 2. p. m. 44.* Porro & Principatus Wurtembergici, uti tradit *SCHROEDERVS l. c. p. m. 311.* Terra itidem Lemnia, uti olim unice ex insula Lemnos adlata fuerat, sic hodie habemus Turcicam, Constantinopolitanam, Hufanam, Wetteravicam &c. Terra porro Silesiaca, quæ & hodie terræ Lemniæ si non præfertur, tamen æquiparatur, sub initium unice erat nota Strigoniensis hodie vero earum numerus maxime auctus deprehenditur, producuntur enim a curiosis collectoribus Lignicensis, Goldbergenfis, Laubacensis, Montis acuti, Jauraviensis, Nobarfoviensis, Olsnensis, Maslensis, Gehnwitzenfis, Brehelvitzenfis, Seichauerensis, Petersdorffensis, magni Blusnicensis, Tarnowitzensis, Zuckmantelensis aliæque plurimæ, quas enarratur præter *JOHAN. MONTANVM*, cui nondum hæc omnes innotuere, *GEORF. ANTON. VOLCKMANNVS, LVD. FRID. JACOBI, JOH. CHRIST. KVNDMANNVS, LEONH. DAV. HERMANNVS*, & si qui alii. Imo non solum Silesiæ ducatum his unice didatum esse, sed & alias provincias ac regiones his superbire, testantur tot terræ medicinales Saxoniz, Bohemiæ, Rudolstadtenses, Norimbergenses, Hassiacæ, Irlandiæ, Anglicanæ, Veronenses, Helveticæ, Norvegiæ, quas præter laudatum *KVNDMANNVM*, exposuerunt *BOHVSL. BALBINVS. BERNH. WILH. GEILFVSIVS, JOH. GEORG. LIEBKNECHT, JOH. JAC. BAIERVS, OL. WORMIVS, MICH. BERNH. VALENTINVS, JOH. JAC. SCHEVCHZERVS*, quibus etiam annumerari possunt, Hungariæ quamplurimæ, de quibus inferius, speciatimque de qua statim agitur, terra Tockayensi, quam quoque præponunt *ACTA PHIL. SOC. ANGL. anno 1665. Mense Martio p. 8. & VALENTINVS in Museo Museorum Lib. I. Cap. I. §. 8. p. 3.* Nec adducam alias terras, quæ cum his in proprietatibus suis convenire creduntur, utpote eas, quæ ex Galata insula & circa Clupeam Africæ, Balearis & Ebusitana, de quibus mentionem facit *PLINIVS l. c. Cap. XIX. p. m. 499.* Sed ad cretæ potius species ex variis terrarum partibus adlatis me conferam, ubi illico videre unicuique licebit, quod teste *eodem solummodo authore l. c. Cap. XVII. p. m. 498.* Thesalonica & Lycia in usum ducatur. Ex quibus, uti liquido satis superque constat, terras

omnes

omnes Medicinales nominatas fuisse, a primo illo loco ex quo e-  
 ruebantur, tandem vero, cum successu temporis plures terræ in  
 diversis regionibus & provinciis sunt adinventæ, plures quoque  
 differentiæ sunt exortæ, nominaque his sunt indita, a loco ex quo  
 effodiebantur natali. Ecquidem si verum fateri debemus, no-  
 bis has differentias a loco natali desumptas, haud ita placere,  
 quippe ut recte *laudatus SENNERTVS l. c. p. 251. sequ.* statuit, in-  
 quiens: *Præstat terrarum vires potius generi, quam loco adscribere, &*  
*quamque ex sua natura æstimare, terrarumque vires experimentis*  
*probare.* Atque hoc magnum illum suo ævo virum, non cum in-  
 juria asserere video & animadverto. Quis enim est, ex sedulis &  
 curiosis terrarum medicinalium scrutatoribus, qui non obser-  
 varet, ex uno eodemque loco diversas haberi terras, quæ non mo-  
 do in colore differentiam, sed & ipsis admixtis ac consistentia  
 agnoscant? Porro cui ignotus est, terras quasdam medicinales  
 Germaniæ viribus prævalere exoticas, quæ Medicis antiquissi-  
 mis in usu fuerant? Neque negare posse quenquam existimo, ple-  
 rasque terras exoticas fictitias esse, ac Germanicas potissimum  
 pro his divendi & in officinis pharmaceuticis dispensari, ac in  
 compositionibus adhiberi, id quod inter alios notavit, *laudatus*  
*DALE l. c. p. m. 46.* ac *LVDOVICI de Pharmacia moderno seculo ap-*  
*plicanda Diss. I. p. m. 254.* Accedit, quod antiquissimi Medico-  
 rum usi fuerint terris sibi cognitis, quas ex vicinis locis accipie-  
 bant: Verum cum nostro ævo de multis vix aliquid certi constet,  
 & fodinæ antiquæ, temporum injuria & regnorum mutationibus,  
 vel ignorentur vel exhaustæ sint, ita, ut jam tempore *candidissimi*  
*FALLOPII* haud haberi poterat bolus præsertim Armeniæ, ac  
 propterea non nisi magno admodum pretio, nec tamen in magna  
 copia comparari poterat, prout ex confessione ejus ingenua cu-  
 ius colligere licebit *l. c. Cap. XXXII. p. m. 378. sequ.* dum sic in-  
 quit: *Igitur non est lapis, sed vera terra, qua terra hucusque carui-*  
*mus, non sine magno humani generis detrimento. DEI tamen maxi-*  
*mi ope factum est, ut & ad nos fuerit delatum hoc medicamentum, non*  
*tamen copiosum.* Imo, ut idem *Doctissimus Vir* paulo post fatetur,  
 alia jam & tum bolus non vero Armeniæ, officinis pharmatev-  
 ticis

ticis fuerat in usu, qui compositiones medicamentorum ingrediebatur, atque hujus in locum substituebatur, ita, ut etiam sub boli Armeniæ nomine veniret. Quibus sic constitutis, quis non credit has differentias a loco natali desumptas, multis & magnis involutas esse difficultatibus, qua sufficienter unumquemque informare possunt, quid de his differentiis statuendum sit? Nec sufficit, quod singulæ terræ loci sui natalis referant signum, dum in omnibus sigillum depræhendimus, quod indicare debet differentiam harum terrarum, quippe cum sigilla etiam diversa uni ejusdemque terræ inprimi observamus, imo & diversas terras uno eodemque signo signatas esse depræhendimus, uti jam ex dicendis clarum satis superque evadet.

## §. XXI.

Cum itaque ad differentias terrarum medicinalium habita ratione loci natalis, exprimendas, signis unicuique loco singularibus utantur, hinc factum, quod hæc terræ signatæ, sigillatæ a Medicis appellarentur. Accepit autem ille mos signandi terras, suam originem apud Gentiles, sic ex consensu omnium, pro certo habetur in insula Lemnas, Dianæ sacerdotem, terram præstantissimam inter reliquas signo capræ quod sigillum erat Dianæ, notasse; quamque is solus, ut rem sacram, attingebat, quippe quæ, cum credebatur, a Diis fuisse datam in ægrorum plurimorum solatium & auxilium, hinc & unice pro religionis consuetudine, sacerdotem eandem attingere licebat, quippe qui pro Diis præsentibus æstimabantur, referente id *NATALE COMITE Mytholog. Lib. IX. Cap. I. p. m. 444. seq.* quo magis vis ejusdem adversus morbos & venena auferetur. Quæ autem signatio terræ Lemniæ uti superstitiosa fuit, ex superstitioso religionis cultu luens, sic quoque fraudi & dolo sacerdotum gentilitiorum, suam debet originem, hi enim omnia, quæcunque aliquam efficaciam edunt, quam vulgus hominum ratione sua capere haud poterat, superstitiose a Diis suis propullulasse statuerunt, quo magis eorum religio confirmaretur, atque cultus vulgi eo devotior & fervidior erga Deos, quorum ministros sese profitebantur, redderetur, sicque eorum proventus largiter auferentur. Superstitiosum

sum itaque habens ortum, hac terrarum signatio & sigillatio, apud superstitiosum vulgum imo etiam doctos, applausum inveniebat, ut omnino multo pretio & precibus expeteretur, atque ad vicinas primo, tandem etiam longe distitas provincias, magnam fiduciam & plane divinam efficaciam, expectantibus ab hoc remedio superstitiose satis decantato & proclamato deveheretur. Unde posterius ad imitationem horum, terras quoque indígenas signarunt, diverso sapius sine, alii superstitiose, alii vero differentiarum causa, quo discernerentur terrarum signata sigillo aut signo quodam ab invicem, & in specie aliarum provinciarum. Nostri autem temporibus, cum supposititia potius habetur terra Lemnia sigillata, quippe quæ iudice etiam *magno SENNERTO l.c. p. 350.* uti nobis adfertur, & in officinis ostenditur Pharmaceuticis, nullo modo comparari potest cum antiquissimorum Lemnia terra, cum omnes notas antiquæ terræ Lemniæ hæc non habeant. Ecquidem ostenduntur nobis, a curiosis rerum naturalium collectoribus, terræ, characteribus Turcicis potissimum, vel ut vult *HENRIC. MAJVS in Phys. Vet. & Nov. P. sp. Sect. II. Traët. II. Cap. XV. §. IV. p. 108.* sigillo Imperatoris Turcarum signatæ, quæ Imperatori Turcico mittitur, quamque in loco paludoso ejusdem insulæ sub canicula colligunt. Verum hæc uti raræ admodum sunt, nec publice vendibiles, sic quoque nec veras notas antiquæ Lemniæ terræ referunt, ita, ut si conferantur, minime easdem correspondere videas, optime sic animadvertente *SCHROEDERO l.c. p. m. 309.* Accedit, quod terra Lemnia a *GALENO* descripta, non in loco paludoso, sed specie collis cujusdam juxta Hephæsiadem urbem colligebatur, prout superius exposui; unde vel ex hoc colligas, diversam eam esse a terra Lemnia, quæ tempore *GALENI* in usu fuerat. Imo fraus maxima subest, dum videas fere omnia pharmacopolia diversas ostendere terras Lemnias, quare non immerito dicit *Celeb. CHR. VATERVS in Physiol. Experim. P. spec. Sect. V. Cap. III. Th. IX. p. m. 391.* quod tot fere terræ Lemniæ ostendantur, quot pharmacopolia reperientur. Atque hanc diversitatem terrarum Lemniarum quoque nobis optime ob oculos ponunt, ipsa signa impressa, quæ sæpe li-

cet idem signum exhibeant, in quibusdam tamen non idem deprehenditur. Quamvis olim uti superius dictum est, multis seculis sigillo capræ terra Lemnia signabatur in honorem Dianæ, testante id præter *HOMERVM* & *HERODOTVM*, *DIOSCORIDE* l. c. tempore tamen *Galeni* sigillum hoc desiderat imprimi, ut refert *BOISARDVS* l. c. f. 189. ubi & icones additas habet. Nunc vero imprimuntur characteres Arabici, quemadmodum ejus aliquot typos exhibet, præter *BELLONIVM*, *CONR. GESNERVS* *Lib. de Fig. Lapid. Sc. Cap. VI. p. m. 102.* Attamen multi quoque id præfertim de ultimo signata tradunt, quod eadem sub eodem signo semper diversa ad nos deferatur. Utque adeo verum sit & de hac terra assertum nostrum, sub finem præcedentis paragraphi stabilitum. Neque solum id terræ Lemniæ evenit, sed adhuc magis sigillatæ illæ Melitensi; hæc enim uti superstitiosam habuit originem, dum *S. PAVLVM* Apostolum Iubrico admodum, imo nullo fundamento adstruunt, ejus inventorem; sic quoque & id evenit, quod una eademque terra diverso sigillo impresso compareat, vel etiam diversæ terræ, effigio *S. PAVLI* aut alterius etiam, superbiant. Sic videmus terram sigillatam albam Melitensium, diversa habere sigilla: aliquæ enim fiunt *S. PAVLVM*, aliæ *S. Antonium* eremitam, aliæ nomen *IHS*, aliæ imaginem Salvatoris cum *S. Maria* & *Josepho* &c. Observamus etiam effigiem non modo terræ Melitensium albæ, sed & rubræ *S. PAVLI* esse impressam, prout id facile unicuique videre licet apud *laudatum KVNDMANNVM* l. c. p. 296. sequ. & in *Annalibus Medico-Physicis Wratislaviensibus Anno 1722. Mens. Jun. Class. IV. Artic. V. p. 600. sequ.* Possem adhuc plurium locorum terras sigillatas medicinales producere, nisi prolixitatem majorem evitare vellem; facile autem lector quivis curiosus videre asserti mei veritatem, ex iconibus *OLAI WORMII*, quas exhibet in *Musæo a p. 5. ad 15.* poterit. Sic etiam cum terræ Silesiæ in maximo sint usu, de his sufficiens habetur relatio in *VOLCKMANNI Silesia subterranea Part. III. Cap. toto XIII. p. 275 - 298.* & *HERMANNI Maslographia Part. II. Cap. II. p. 189. sequ.* unde si quis collationem instituere voluerit, facile apparebit Iubrico admodum fundamento, initii differentias a sigillis impressis petitas.

## §. XXII.

Ex prædictis autem differentiis specialibus a Naturæ con-  
 sultis, etiam generaliores doctrinæ causa statuebantur; sic re-  
 ceptissima olim fuerat, distinctio terrarum in medicatas & artifi-  
 cum; quæ tamen non usque adeo approbatur a Naturæ curiosis,  
 quippe qui, cum observarent, quod vel idcirco stare haud possit,  
 quod species quædam terrarum medicinalium & artificibus in u-  
 sus cedant & vice versa, artificium quædam species, & inter auxi-  
 lia medica referantur, quemadmodum id ex descriptis a *DIO-  
 SCORIDE* l. c. *Cap. XCIV. p. m. 550. sequ.* teris luculenter satis pâ-  
 tet, quare etiam recte tanquam inconueniens rejicitur a *KOENI-  
 GIO*, *Regn. Min. Sect. IV. Cap. I. p. 176.* Aliam igitur huic substi-  
 tuere conatus est *AGRICOLA* de *Nat. Fossil. Lib. II. Cap. IV. sequ.*  
 postquam l. c. *Cap. I. p. 376.* ante adductam quoque rejecisset, dum  
 omnes terras ratione habita consistentiæ in generales tres classes  
 distribuit, videlicet in macras, pingues & mediocres, horumque  
 classium generalium rursus speciales quoque facit subdivisiones.  
 Verum & hæc terrarum metallicarum, ut jam cum Chymicis lo-  
 quar, divisio & distributio, licet primo intuitu, satis probabilis vi-  
 detur, ita, ut facili negotio omnes species terrarum metallicarum  
 ad has generales classes revocari possint, attamen cum paulo at-  
 tentius hanc revocationem specierum, ad suas classes generales  
 trutinare quis voluerit, illico apparebunt difficultates, haud ne-  
 gligendæ contemnendæque, quæ demonstrare possunt, & hanc  
 divisionem tam accuratam haud esse, quam quidem existimavit  
 laudatus rerum metallicarum haud contemnendus scriptor.  
 Nam ex superius dictis constat, terras omnes aut esse pingues aut  
 macras, consentit id *JOH. JAC. SCHEVCHZERVS* in *Meteorolog.*  
*§ Orictograph. Helvetica p. 123.* ac *Schweizer Natur. Geschichte*  
*Tom. II. p. 170. sequ.* adeoque non videmus, quare mediocres sta-  
 tui vel assumi debeant, quippe quæ cum adhuc ad classem pin-  
 guium referri possunt, si substantia unguinosa earum, secundum  
 methodum ex *SCHROEDERO* superius allatam, omnino detegi  
 potest, hinc etiam ad classem pinguium omnino revocari debent,  
 alias enim contra regulas divisionum peccaretur, eum ad simpli-

citer macras referri haud possunt; quippe quæ præcipiunt, ubi inquiritur natura alicujus rei, ne divisio in nimis magna membra fiat, cum sic res magis confundatur, uti id exponit *JOH. CLERICVS in Logic. Part. II. Cap. XI. §. 9. p. m. 112.* Atque hoc præter *SENECAM*, in oratoribus etiam culpatur *FAB. QUINTILIANVS Lib. IV. Instit. Orat. Cap. V. p. m. 192.* Videns itaque difficultates divisionis modo adductæ, *Illustr. GEORG. ERNEST. STAHLIVS in specim. Natur. Part. II. Membr. III. p. 282.* aliam nobis exhibet terrarum distributionem, dum easdem dividit in terras macras, pingues, densas, lucidas & nitidas; ac terras quidem macras, rursus in scisfiles, friabiles & aridas pulverulentas, distribuit. Qua quidem divisione, *Celeberrimus Vir*, ad ipsam naturam terrarum metallicarum accuratius explicandam, respexit, in eo tamen minus accuratus fuit, dum divisionum species ad invicem confundit; terræ enim omnes pingues densæ sunt, ac macræ etiam quædam densæ, imo densissimæ habentur, denique etiam maxime ad classem densium referri debent lucidæ & nitidæ, unde vel ob hanc causam nobis haud arridet. Eodem loco etiam haberi debet *CL. HENR. MAJII. c. Axiom. p. m. 109.* terrarum metallicarum distributio, cui assentitur, & *Celeb. JOH. ANDR. SCHMIDIUS in Physica positiva Part. poster. Sect. III. §. VI. sub lit. p. m. 104.* dum alias dicit esse terras steriles, alias pingues, alias denique frugiferas, quippe cum omnes terræ pingues frugiferæ sunt, & vice versa, omnes frugiferæ pingues. Atquæ hæc quidem, *Doctissimorum Naturæ Consultorum*, terrarum metallicarum distributiones seu divisiones, cum nobis haud placeant, necesse est, ut viam monstremus, quomodo ea partiri in suas generales classes, ad quas omnes omnino terræ metallicæ, quo denuo cumque nomine veniant, revocari possint. Ecquidem non sum is, nec in more mihi unquam positum erat, qui præsumerem aliis præcepta præscribere, ad quos ductum normamque & illi sese dirigere possent; lubens enim profiteor, ingenium meum non esse tam acutum, quo inventiones quasdam aliis exponere valerét; attamen cum sapissime fiat, quod & tentamina levissima quodammodo viam demonstrent, quibus adjuti tandem accuratissimi ingenii viri rem accuratius

curatius exponant: sic nec adeo timidus in propalanda divisione terrarum metallicarum sum, quamvis pro certo sciam, me partum immaturum adhuc orbi erudito exponere, unde & non alia evidentiâ, hunc meum conatum sisto cordatis viris ad examinandum, quam, qua ipsa experientia confirmante, se mihi probavit hæctenus. Distinguere itaque solitus sum, terras metallicas omnes in *raras & densas*, ac illas rursus in *leves, friabiles simpliciter & pulverulentas*; has vero in *pingues, nitidas & graves*, cum certo sciam, omnes omnino terras metallicas ad tres classes revocari posse, prout id aliquando fufius demonstraturus sum.

## §. XXIII.

Ex hæctenus itaque dictis illud luculenter satis apparet, quod terræ metallicæ æque præcipue, quæ in præternaturali constitutione œconomix animalis maxime usui sunt, sub initium ac speciatim *GALENI* temporibus, admodum fuerunt pretiosæ & raræ, ita, ut & *FALLOPIVS l. c.* de raritate earundem conqueratur, imo etiam nostris temporibus non nisi in curiosorum Musæis, conservantur eæ, quæ *GALENI* tempore, atque ante eundem in usu fuerant. Unde factum, quod diligentissimi rerum naturalium indagatores hunc defectum refarcire conati sunt, ac speciatim laudata est diligentia *JOH. MONTANI*, quod is primus terras Silesiacas sigillatas invenit, demonstraveritque, quod hæc antiquis illis, si non prævaleant, tamen in virtute æquivalent. Hujus vestigia legebant alii sagaces naturæ mystæ, atque plures alias indagarunt terras metallicas, ita, ut fere vix regionem existere constet, quæ non propria & quasi indigena terra metallica superbiret, prout ex iis, quæ hæctenus diximus, aliquomodo patere poterit. Qua autem de causâ factum, quod Pannonia nostra nihil de his orbi erudito curiosisque Naturæ contemplatoribus ac admiratoribus produxerit, cum tamen nulla Europæ fere existat provincia, quæ terras non exposuisset metallicas; (non enim incusare hic possumus patriam nostram dulcissimam) illud suo tempore ubi *Act. Eruditorum Hungariæ res & eventus naturales ac morbos regni Hungariæ exponentia* edentur, exponam; Pannonia enim largiter a summo Creatore quamplurimis rebus natura-

turalibus & curiosissimos delectantibus, adeoque & diversis terris medicatis ditata est; Et qui fieri potuisset, quod ea his destitueretur, cum aliis, iisque carioribus, in abundantia superbiat? Imo ne imaginari sibi quisquam poterat, regnum Hungariæ his terris carere vel potuisse, qui paulo attentius tantum tot auri, argenti, cupri, ferri, antimonii ac salis fodinas conspexerit, vel saltem oculo mentis admiratus fuerit. Admodum esset mirandum, regionem quandam, lapidum variorum etiam ex pretiosorum numero, copia abundare, defectum tamen pati in terris metallicis, utpote non admodum raris, sed fere cuique regioni a natura provida copiosissime datis. Prout itaque *Pannonia regno CREATOR. O. M.* de rebus curiosissimis non minus, quam & utilitate maxime superbientibus, prospexit; sic quoque & huic concessit terram, quæ in æquiparatione ad reliquas Europæ provincias & regna, fertilissima, etiam exterorum consensu, audit, ac non modo vegetabilibus in nutrimentum cedit, sed & maxime usu suo, in debellandis morbis sese commendat, ac quædam etiam mechanicorum artibus opitulatur.

## §. XXIV.

Non equidem est animus enarrare omnes terras metallicas, quas Hungaria, patria nostra dulcissima, copiosissimas possidet, quippe cum id suo tempore & loco peculiariter sum expositurus: illud tamen in antecessum monere debui, quod hæctenus nulla sigillabatur seu signo aliquo signabatur, licet *laudatus sæpe KVNDMANNVS l.c. p. 301.* recenseat terras sigillo impressas Neofolienses, utpote auream, flavescens rotundam, quadrangularem coloris ejusdem sed saturatoris, quarum tamen signatio, seu sigillorum impressio unice curiositatis gratia facta est, non vero, ut constanter uno eodemque signo sive sigillo apparent, & in usus ducerentur, id quod diversa sigilla in eadem terra Neofoliensi apparentia, satis superque confirmant. Ex hoc fonte curiositatis etiam habentur terræ sigillatæ Kackas-Lomniezensis, Røelloviensis & rubrica Kesmarkiensis atque Belensis, & aliæ plures, quæ a diversis naturæ venatoribus varie quoque signabantur, prout id alibi declarabitur. Verum hæc signatura terrarum  
a curi-

a curiosis ingenii curiositatis gratia instituta, ita accipi haud debet, ac si revera sub hac sigillatione in usus officinarum cederent, quod minime fit, sed accipitur unice terra, prout e loco suo naturali eruitur, inter compositiones medicamentorum sæpeque nec ea, sed potius Silesiaca, in usus pharmacopœorum venit, nimirum, qualis præscribitur propter colorem compositi observandum. Ex omnibus autem terris metallicis, quas Pannoniæ regnum possidet, maxime expeditur ab exteris nationibus usque etiam Medico præpollet *terra medicinalis TOKAYENSIS*, ita, ut ea maxime in febribus malignis, peste, dysenteria aliisque corporis humani affectibus morbosis, ab *authoribus practicis* infra nominandis, commendetur, ac virtute ipsam Armeniæ bolum eamque veram, præcipueque illam, qui *GALENI* temporibus in usu Medicis familiaris fuerat, si non superare, tamen æqui polleere dicitur. Cum igitur tanta huic *terræ medicinali Tokayensi*, vulgo sub nomine *bolis Tokayensis*, vis tribuatur, descriptio ejus autem plenaria a nullo Medicorum hætenus tradita sit, hinc defectui huic consulere volens, præsentem pro modulo ingenii tenuioris concepi, existimans, inde optime naturam ejus non modo Physicos, sed & Medicos colligere posse, quo & usibus aliorum inserviat.

## §. XXV.

Primus, quantum quidem mihi hætenus constat, qui hujus terræ medicinalis Tokayensis facit mentionem, est *JOH. CRATO a KRAFTHEIM*, trium illum Imperatorum Augustissimorum Archiater, in *Comment. de vera præcavendi & curandi febrem pestilentem & contagiosam ratione p. m. 532.* dum de hac sic scribit: *Multis in locis maxime in Hungaria ad Tokavium bolus effoditur colore ruffo, quali & bolus ille verus describitur. Eo magno cum successu usus sum sæpe, & plus profuisse observavi, quam terram sigillatam, quæ fere quotannis dissimilis ebullit, & aliter præparatur.* Post hunc bolum Tokayensem quoque commendatam & descriptam in *TRANSACTIONIBVS PHIL. ANGL. l. c.* legimus. Neque fugebat noticia hujus terræ medicinalis, magnum *SENNERTVM l. c. p. 41. 35.* quippe qui etiam non est veritus asserere eandem omnes notas

notas veræ boli Armeniæ habere, unde etiam virtutem ejus extollit, exemplis innixus *a laudato ante CRATONE* allatis ac observatis. Nec plane silentio hanc terram prætereunt, *EPHEM. PHYS. MED. GERM. NAT. CVRIOS.* quippe quæ ex relatione *JOH. PATERSON. HAIN. Ao. u. scil. 1671. Obs. XXVIII. schol. p. 57.* etiam eandem sub nomine boli Hungarici adducunt, absque ulla tamen annexa ejus descriptione. Porro etiam laudatur ab *AVTHORE systematis Physici ERNESTINI, JOH. SPERLINGIO, J. C. STVRMIO, VALENTINO & DAN. HARTNACCIO,* qui tamen omnes magis ex relatione scripserunt, vel quod verius est, tectò licet nomine, *a SENNERTO* relata retulerunt, uti id vel ex eo patet, quia ab ejus sensu, imo & verbis ne latum quidem recedunt unguem. Sic etiam *Celeb. CHR. VATERVS l. c. Tb. IV. p. m. 389. sq.* terram Tockayensem & Armenam omnibus aliis præfert. Neque reticendus est *HANEMANNVS,* quippe qui in *Diss. de Metallis,* hujus quoque mentionem facit, eamque solarem esse, primus propalavit, hanc quoque terram *CL. KVNDMANNVS* in musæo suo naturali ita se habere, *l. c. p. 301.* refert. Ex adductis itaque *authorum laudatorum* de terra Tockayensi ingenuis confessionibus, apparet luculenter satis, eam notiore esse, quam quidem vult *CL. JOH. GEORG. SIEGESBECKIVS* in *Annalibus Medico-Physicis Wratislaviensibus Ao. 1721. Mens. Novembr. Class. IV. Artic. XV. p. 525.* dum inquit: *Und ist nur schade, daß die terra solaris Tockayensis aus Hungern so schwer zu überkommen, auch so wenig noch zur Zeit, quoad efficaciam Medicam in foro Medico bekandt ist; wie denn bloß Hanemannus in Dissertatione de metallis ihrer Erwähnung thut.* Non enim solummodo uni scriptori innotuit, sed prout ex adductis testimoniis patet, plurimis, ita, ut non modo hi, qui hujus mentionem fecerunt vel etiam descripserunt, verum etiam alii, partim per lectionem, partim vero etiam in sua natura, hanc terram cognoverunt; non enim omnis, quod possidet, vel quod etiam revera in usus ducit, describit & aliis refert, uti id quotidiana experientia unumquemque edocere potuit, ac vel ipse *CL. SIEGESBECKIVS* proprio exemplo asserum hoc confirmat, quippe qui publico invidet tincturæ solaris ex terra Tockayensi, vel aliis  
 prapa-

preparationem. Neque etiam tam rara existit in Hungaria terra laudata, sed prout inferius dicitur in copia sufficienti haberi potest, unde etiam necesse haud est, ut cum *laudato SIEGESBECKIO* l. c. de ejus inopia conqueramur, ac copiam ejusdem exoptemus, dum ait: *Ich wolte wünschen, daß man diese Goldische Krafft-Erde in copia haben könte.* Illud autem cum eodem fateri cogor, quod hujus usus in medicina quoad suam efficaciam nondum ita innotuerit, quam quidem sperari debebat, cum nullo authorum specialiter eundem enarraverit, si *CRATONEM* excipias; quæ enim alii de ejus efficacia scripsere ex prælaudati *CRATONIS* scriptis hauserunt, nec ipsi multum probarunt hanc terram in affectibus morbofis, sed unice contenti erant, hoc dictamine, quod viribus æqualibus cum bolo Armeniæ superbiat. Et dolendum profecto maximopere est, quod & Pannoniæ nostræ Medici clinici indigenam hanc, sive domesticam terram, haud æstimaverint hætenus, sed unice contenti fuerint terris sigillatis aliunde & in specie ex Silesia allatis, quæ officinis Pharmaceuticis Hungariæ sunt familiares. Unde nec ab his de efficacia hujus terræ veram expectare poteris informationem, quippe quibus exotica domesticis præponere, admodum familiare est; quæ de causa etiam factum est, quod & nostris Medicis hæc terra incognita quoque erat, cum ipsorum nondum erat animus, quo materia medica ex ipso penu rerum naturalium fertilissimo locupletissimoque, patriæ dulcissimæ, peteretur augeturque. Non enim revocarunt in memoriam, quod & domesticis exemplo *JACOBI THEOD. TABERNAE MONTANI*, tanta præstari in medica arte possint, quanta vix ab ignotis transmarinis, & ex altero usque orbe importatis, sperari expectarique poterant, prout inferius fusius exponetur. Sed culpandus hic mos medicorum regni Hungariæ revera est, quippe cum meliora possideant, quam quidem ab exteris petio habere possunt, ea tamen turpiter negligant. Exteri profecto nobis invident hanc felicitatem, quam hætenus fere omnes vilipendimus ac nihil æstimavimus. Unde vel hoc ipso turpitudinis nota, Medicis Hungariæ inuretur, quod meliora rejiciant, deteriora vero, quæ & ære comparare debent, in usum assumant.

## §. XXVI.

Quo autem magis ardore res patrias scrutandi, in artis salutaris cultoribus patriis, quibus e meliori luto finxit præcordia Titan, accenderetur, exteris vero accuratius innotesceret terra Hungariæ Tockayensis, jam ad eam describendam me accingo. Foditur autem ea in territorio superioris Hungariæ oppidi Tockay dicti, & quidem in vineis, oppido sive Tibisco ac Bodrock fluviiis oppositis, pro loci varietate varia. Atque ob hanc causam terra hæc etiam Tockayensis appellatur, ab oppido videlicet, cujus territorii fœtus existit; unde vel a loco natali nobilitas hujus terræ patet. Cum enim laudatum oppidum, (quod ante hæc arce natura & arte firmissima, uti illam hoc elogio condecoravit *JOH. SAMBUCVS* in *Appendice ad Antonii Bonfinii Rev. Hung. Hist. p. m. 818.* superbiebat, cujus nunc tantum rudera supersunt ac videntur;) fertile admodum habeat solum, licet exiguum, quod maxime pro cultura vinearum accommodatur, ac generosissimum vinum exhibet, unde etiam factum, quod optima superioris Hungariæ vina pro Tockayensibus venditentur, nec sine injuria; cum enim pars illa, sive tractus montis Tockayensis, qui ad territorii oppidi Farezal, usque fines vergit, optima proferat vina, quæ in Hungaria superiori haberi possunt, hinc omnia vina generosa pro his venditantur, licet ex aliis partibus montanis (ut vocantur a nostratibus) originem suam habeant; non autem hoc in passu sit injuria aliis partibus, licet & hæc sæpius generosiora adhuc, pro constitutione anni tempestatum varia, Tockayensibus proferant, quippe, cum haud raro observetur, præstantiora proferre vina alia loca, quam quidem ipsum promontorium Tockayense optimum; quemadmodum *COLLECTORES ANNALIVM Physico-Medicorum Wratisl. Ao. 1717. Mens. Oct. Class. III. §. I. p. 192. sequ.* accurate adnotarunt, ut plurimum tamen vineæ Tockayenses elogio hocce dignæ sunt, cum generosissimum vinum ex illis ut plurimum præ aliis partibus habeatur, sæpissimeque palmam illis præripiant; qua de causa etiam factum, quod Historiæ scriptores, præsertimque exteri, maxime ob nobilitatem vini, hujus oppidi mentionem injiciant, prout vel ex notis *JOH. BVNONIS*

*NIS ad Cluveri Introd. Geograph. p. m. 336.* quivis videre poterit. Qui plura de vino Tockayensi scire vult, adeat interim *Cel. FRID. HOFFMANNI Obs. Physico-Chymicas Select. Lib. I. Obs. XXIV. p. 79. sequ.* Alias equidem oppidum Tockay nihil singulare fistit, quo in admirationem raperetur curiosus peregrinator ac spectator, cum ædificia simplicissima domunculorum hominum privatorum oculis unice exhibeat, si exceperis illa ædificia, quæ hæcenus & nostris potissimum temporibus monachi aliqui extruxerunt, in quibus & sacra administrant ac ipsi etiam resident. Omnium autem oculos ferit, domus Cæsareo-Regia, quæ non modo structura sua omnes præcellit magnatum & nobilium domus, sed ob depositionem falis Cæsareo-Regii maxime celebris est. Nec admodum amœnum habet prospectum, cum lutosas plateas in ipso oppido & trans Tibiscum, fluvium celebrem Hungariæ, horridas & desertas sylvas, unice conspectui exhibeat; amœnum tamen faciunt ex parte oppidi fluvio opposita promontoria, vitibus florentissima, quorum tamen vites non adeo generosum vinum, præfertim si illius promontorii sive montis partem intelligas, quæ versus Kerrestur dictum oppidum vergunt, cultoribus exhibent. Verum, licet externis illis commoditatibus atque commodis destitui laudatum oppidum revera videatur, in aliis tamen huic maxime prævidit *Creator maximus*, ut respectu horum incommoda haud æstimentur; quo etiam factum, quod copia maxima hominum ibi reperiatur, ex variis nationibus, Germanis, Schlavis ac potissimum Hungaris, constans, alliciebat enim eos fertilitas soli, ac vinearum potissimum cultura. Ob culturam itaque vinearum optimarum nobile oppidum, nobilitatem quoque & terræ medicinali conciliabit, eoque magis, quo certius constat, terram laudatam ex ipsis vineis offodi, unde vel hoc ipso nobilitas ejus multis sese commendabit, quod e loco eruatur, ex quo generosissimum vinum, cultores vinearum lucrantur, præfertim cum & revera, uti paulo post dicetur, tales possideat proprietates, quæ eandem gratiorem Medicis & Physicis esse, ac cæteris terris metallicis aliarum regionum provinciarumque prævalere facile ostendunt. Et omnino multum tribuit ad nobilita-

tis commendationem terræ Tockayensi, quod eo in loco eruatur, ubi vites copiosæ crescunt, fructusque suos largissime proferunt, ex quibus earum cultores undiquaque celebratissimum faciunt vinum. In hac terra itaque cum vites etiam crescant, quique fructus proferunt, ex quibus generosissimus paratur potus, necesse est, vitem nutrimentum ex eadem habere, quod cum tantæ efficaciz existit, ut ex fructibus procrepantibus maturis, præstantissimus liquor eliciatur, qui in magnis a Magnatibus quoque habetur deliciis, adeoque & ipsa terræ præstantia alias plurimas, sibi que æquales, longe superet necesse est. Prout enim AVTHOR sub literis R. P. latens in epistola ad Rogerium Castlemaini Comitem sistente Bathoniensium & Aquisgranensium thermarum comparationem §. 3. p. 5. adserit, vitium stirpes acidulis juxta Rhenum nutritas, ejusdem cæli solique naturam haurire, & simili peneque cognato sapore venire cum acidulis prædictis; sic eodem etiam jure statuere mihi licebit, vinum quoque efficaciam suam tam virtuosam, ab ipsa hac terra medicinali habere, quippe cum ex eadem omne nutrimentum assumat, unde etiam quo majorem exerit vinum efficaciam, eo præstantiorem quoque virtute sua esse laudatam terram, quare vel ob hanc unicam causam nobilitas hujus terræ major esse debet, quo major est existimatio ipsius vini.

## §. XXVII.

Non autem æqualis eruitur in prædictis locis terra, sed pro varietate locorum varia. Sic enim in vinea quadam oppidi prælaudati ad occidentem vergente præstantissima habetur, duplexque eruitur in uno eodemque loco, videlicet alba & rubra, atque hæc terræ unguinosæ admodum sunt, ita, ut ad tactum earundem existimaret quis, se palpare vel attingere smegna optimum; illud autem singulare est, quod strati ad instar, in loco suo natali duplex hæc terra conspiciatur, ita, ut commixtionem hanc admodum admirari spectatores curiosi debeant: unam enim lineam velut rectam constituit alba, alteram rubra, ita tamen ut crassitie rubra superet albam. Stratum enim, quod constituitur a rubra est in latitudine dimidii pedis Rhin. non tamen semper & ubique

ubique æquali, modo enim major, modo minor observatur. Ab alba vero, quod constituitur, tantummodo in latitudine medii pollicis, modo majore, modo minore, notatur. Admirari quoque debet, quod cum densitate sua maxima admodum levis nec tam porosa existit, uti quidem in aliis nostratibus & exterarum provinciarum terris observare licet, sed tamen admodum friabilis existit, ita, si frustum ad duriolem ex altitudine haud ita magna decidens locum, illico in minutissima vitri fere vel potius quod rectius dici potest, regularum ustrarum ad instar, dissiliat; quam tamen friabilitatem majori in gradu exhibet alba præ rubra. Linguæ admotæ hæ terræ tenaciter adhærent, magis tamen eadem adhærere observatur alba. Ori inpositæ atque saliva irroratæ, cum fritore sensibili dissolvuntur in minutiores particulas asperas ad linguæ attactum. Masticatæ in ore, attactum mutuum dentium, uti glutinosa corpora, afficiunt, parum tamen substantiæ arenosæ minutissimæ & exilissimæ, quæ dentes haud afficit, sistunt ambæ, minus tamen exhibet alba, nec in eo gradu afficit dentes glutinosorum corporum ad instar, quam rubra. Odorem exhibent argillaceum, ad cretaceum magis vergentem, ac talem quoque saporem. Illud etiam curiosum admodum existit, & admirari merito debet, quod punctula terræ albæ modo majora, modo minora in substantia terræ rubræ, nulla tamen, contra punctula terræ rubræ in substantia albæ observentur. Tam arcte autem connectuntur terræ hæ ad invicem, ut nulla arte divelli ab invicem possint, cum si separare easdem ab invicem intendere, quis irritò semper conatu hanc laborem aggredietur; quippe cum nullo modo separatio instituitur, ita, ut ambæ terræ sine adhæsione alterius ab invicem divulsæ obtineri possent, quin potius semper id observabit, quod alba indissolubili nexu comitetur rubra. Tam arcta itaque est harum terrarum in extremis suis punctis cohæsio, ut potius alterutra pars vim patiatur, quam ut in nexu suo indissolubili, opera manuali, ab invicem divulsionem paterentur. In superficie autem loci, ubi effodiuntur hæ terræ, semper primo intuitu observatur alba, in cujus superficie terræ nigræ ramenta visuntur, quæ itidem sunt unguinosa.

## §. XXIX.

In parte oppidi septentrionali itidem in vinea alia quoque eruitur terra, sed impura admodum, ita, ut inepta plane sit ad usus Medicos. Venit autem ea, colore ex atro rubente, densaque ac gravior enarratis existit, nec tam friabilis est, de cætero fatis unguinosa apparet, ita, ut in hoc puncto non cedat terris metallicis exterorum, sed multo est arenasior; nam masticata terra arenulæ minutissimæ in eadem magis percipiuntur. In ore saliva irrorata terra, quidem defluit in ramenta minora, sine stridore tamen ac tardius multo quam ante adductæ; masticata, ita, ut glutinosa corpora, dentes afficit, minus tamen quam terræ §. XXVII. descriptæ, propter copiam minutissimarum arenularum majorem & ramentorum martialium. Saporem etiam linguæ imprimit argilaceum, magis tamen cretæ saporem referentem, sed non ita sensibilem uti ante laudatæ terræ, prout & odorem. Confracta terra superficiem sistit asperam & in æqualem, apparentque in eadem sensibiliores pori quam in jam laudatis, minus tamen linguæ adhæret quam præcedentes; sæpissime in hac terra illud observabis, quod minima pyritis splendescencia, auri-que colorem referentia in superficie videre liceat.

## §. XXIX.

Non magna distante intercapedine ab hoc modo nominato loco, reperitur & alia terra, quæ ad rubricæ classem potius referenda est, nec ad usus Medicos adhiberi potest, ob mox recensendas causas. Eruitur autem eadem simili labore, colore ex albo rubente, ac friabilis admodum existit, ita, ut digitis in pulverem comminui possit; aspera admodum digitis palpata, observatur, nec quidquam in ea unguinositatis vel potius mucilaginositatis apparet. De cætero porosa admodum est, ut ejus poros etiam sine armato oculo, videre quis poterit; sub microscopio vero æqualem sistit ejus substantiam porosam, qualem nudo oculo in pumice lapide cernimus. Confracta hæc terra, variegatum colorem in sua substantia exhibet, manusque tangentes tingit; quod cum omnibus rubricis familiare existit, atque idcirco terram Lemniam *GALENVS* rubricam appellare haud voluit

luit, quippe, quod tangentes manus suo colore haud tingat, prout testatur inter alios *laudatus supra FALLOPIVS l. c. Cap. XXXVIII. p. m. 396.* hinc etiam vel ob hanc causam rubrica appellari debet. Ori imposita atque saliva irrorata, non diffluit, masticata autem copiosissimam arenam exhibet, linguæ vero admota, eadem adhæret, non tamen tam fortiter quam §. XXIX. descripta. Saporem & odorem experienti prodit argillaceum, ad cretaceum accedentem, sensibiliorem tamen, quam omnes modo adductæ terræ.

## §. XXX.

Et dictis itaque luculenter satis patet differentia harum terrarum, quæ in uno eodemque territorio effodiuntur, unde etiam liquido constabit, quæ præstantia sua sese magis Medicis commendet atque prævaleat. Hoc uti satis ex dictis colligi potest, attamen quo vel hæc adhuc evidentior fiat, placet parumper delibare, quæ hæctenus circa has terras observatu digna sese obtulerunt, quæque non tantum ad historiam complendam harum terrarum faciunt, sed multum quoque contribuunt, in investigatione essentia earum, modique generationis, atque ad certiorum usum in praxi medica confirmandum. Illud equidem ex dictis luculenter satis patet, priores §. XXVII. descriptas, reliquis jure quodam, & ex merito, palmam præripere, attamen cum ex diversis experimentandi modis aliud iudicium deduci posset, merito res ulteriori comprobatione indiget. Si itaque in methodo examinandi terras sectari animus esset CL. JOH. KIESSLINGIVM in *Physica experimentalis* (quæ *methodo Euclidea* ab Authore elaborata esse dicitur, sed nec sapit eandem methodum, multo minus aliquam cum eadem conformitatem habet) *Part. III. Cap. XV. Thes. II. Dom. Exp. p. 166.* facile rem absolvi possem, num vero vera foret examinatio ex dicendis apparebit. Sic enim laudatus author inquit: *Naturam omnium harum terrarum exquisite explorare possumus, si eas conjicimus in aquam, vel dulcem vel acidam; si enim in aqua dulci effervescentiam excitant, majorem partem sale acri caustico præditæ, & hinc inter venena fere referendæ sunt, ut terra calcaria &c.* Non enim sufficit, terrarum medicatarum vel potius

tius metallicarum in aquas vel dulces vel acidas, injectio, quippe longe tutiora sunt tentanda, quæ non tam rem obscuram relinquunt, quam potius vere patefaciant & exponant. Fundatur autem *CL. Author* maxime in excitata effervescentia, sed quam levi utatur supposito, facile quis videre poterit. Non enim sequitur, quod ea corpora, quæ vel cum aqua dulci aut acida effervescentiam excitant, sint ejusdem naturæ, quippe cum certa jam & fidissima experientia constat, quod & alcalia cum alcaliis & acida cum acidis effervescent; unde merito, secundum suppositum *CL. Viri*, acidum cum acido effervescens corpus, pro diverso ab eo haberi deberet, cum quo confictum instituit pugilem; verum aliud evincit quotidiana experientia & sedula observatio, prout belle præter laudatum *ARCH. PITCARNIVM* demonstravit *Celeb. JOH. BOHNIVS* in *Epistola ad Joel. Langclotum de alcali & acidi insufficientia*. Quare etiam conclusio ejusdem authoris falsissima existit, dum statuit, easdem terras quæ cum aqua dulci effervescent, inter venena referendas esse, (optime autem adnexit voculam fere) cum tamen contrarium experientia testetur; nam vel solum lutum exsiccatum & porosum in aquam dulcem injectum, aliud evincit, quippe quod etiam levem prodit effervescentiam cum aqua dulci, & præfens terra Tockayensis, prout ex dicendis satis superque constabit, idem quoque præstat, nullo tamen modo inter venena referri potest, quin potius fateatur quisvis necesse est, non contemnendum eam esse auxilium medicum, in plurimis iisque gravissimis œconomix animalis affectibus præternaturalibus. Insufficiens itaque methodus cum sit ad naturam terrarum metallicarum indagandam, *CL. KIESSLINGII*, necesse est, ut alio modo in examine terrarum quoque Tockayensium procedatur, eoque accuratiore, quo tutius tandem verum ratiocinium de essentia & effectu earundem dari possit.

§. XXXI.

Atque hæc cum in sufficientia sunt, merito quoque his & alia experimentandi adminicula adjunxi, quo certior quisvis redderetur, quid de terrarum Tockayensium natura sentiendum sit? Terra metallica sive medicinalis §. XXVII. descripta, saliva hu-

manæ

manā injecta, illico cum stridore in minutissimas particulas dissolvebatur. Idem etiam observabatur, si eadem terra aquā dulci injiciebatur, nisi quod citius dissolvebatur in minutissimas particulas, eo modo, prout in calce viva in aquam injecta, videre licet, majorque notabatur effervescentia. In acetum vini fortissimum injecta terra, tarde admodum in minima resolvebatur, nec sensibilem admodum effervescentiam excitebat. Spiritus nitri cum huic terræ affundebatur, exiguam admodum excitavit effervescentiam, quæ vix percipi (si adhuc effervescentia dici meretur) poterat, atque tardissime admodum in partes haud tam exiles eandem dissolvebat. At spiritus vitrioli vim plane eludebat, quippe, licet ultra horam in infusione cum eadem staret, attamen nihil mutationis terræ infusæ attulit. Effervescebant autem terræ laudatæ cum aqua forti, atque in minima crassiora resolvebantur, magis tamen & citius hoc etiam observabatur in spiritu salis. Neque infundendo saltem obiter subsistere volui, in natura hujus terræ investiganda, sed ultro perrexi, & diuturnam infusionem ultra unius mensis spatium tentavi, quo oleosam sive unguinosam substantiam a reliquo corpore separare possem, ad methodum a SHROEDERO l. c. p. m. 311. descriptam, verum non oleum, uti quidem *dictus auctor* voluit, sed mucilaginem unguinosam in exigua quantitate aquæ supernatantem acquisivi, quæ substantia haud assimilis existebat illi, qualem in locis paludosis & ochram deponentibus videre licet. In fundo autem vasis, decantata aqua, duplex se mihi quoque exhibuit massa, videlicet terrestris & mucosa, illa fundo vasis proxima, hæc vero illi superincumbebat. Aqua decantata ad cuticulam evaporata, crystallos exhibebat salis medii, nitroso vitriolacei. Cum etiam a Chymicis laudari legerim spiritum terræ sigillatæ, hinc ejusdem quoque destillationem igne aperto ex retorta tentavi; at nihil minus quam spiritum elicere poteram, licet noctu diuque fortissimo etiam igne extorquere intenderem, quin potius loco hujus unice phlegmate acidiusculo contentus esse debui, deprehendique, id nihil peculiaris in se habere, præ phlegmate quod ex terris omnibus elicitur.

nebat in retorta, linguæ admotum, eadē haud amplius adhæ-  
 rebat, nec saliva aut aqua dissolvi poterat. Calcinata terra &  
 pulverisata atque lota, quo metallicæ particulæ ac arenulæ haberi  
 possent seorsim, exhibuit particulas minutissimas martiales ac  
 arenulas pyritis splendescens; martiales, magnetem illico se-  
 quebantur, relictis arenulis pyritis minutissimis, nec nisi armato  
 oculo cognoscibilibus. Atque hæc circa examen terræ medici-  
 nalis albæ & rubæ, a me sunt tentata, hac tamen cum differen-  
 tia, quod terra alba citius in saliva humana atque aqua dulci  
 dissolvebatur, majori cum effervescentia, quam rufa; e contra  
 vero terra alba, tardius in aceto vini fortissimo solvebatur in par-  
 tes minores, minorique cum effervescentia, quam rufa. Ita e-  
 nim minorem excitavit effervescentiam cum affuso spiritu nitri,  
 terra alba quam rubra, atque vim spiritus vitrioli penitus elude-  
 bat. Terraque alba citius dissolvebatur, & fortius effervesce-  
 bat, cum aqua forti, uti & spiritu salis, quam rufa. Cæterum,  
 massas æquales, ad invicem in infusione exhibebant, hac tamen  
 cum differentia, quod tenuioribus nec tam arenosis, prædita fue-  
 rit particulis alba, quam quidem possidebat rufa. Martiales  
 quoque particulas pauciores, e contra pyritis arenulas minimas,  
 nec nisi armato oculo cognoscibiles, copiosiores exhibebat alba,  
 quam rufa.

§. XXXII.

Eadem quoque sunt a me instituta experimenta cum ter-  
 ra medicinali §. XXIX. descripta, deprehendique, eandem qui-  
 dem in saliva & aqua dissolvi in partes, sed majores, quam mo-  
 do laudatæ terræ, & minori cum effervescentia atque tardius. In  
 aceto vini fortissimo tardissime dissolvitur cum exiguo fridore,  
 qui vix percipitur. Spiritus nitri vim exiguam experitur ac in  
 eodem tardissime dissolvitur, imo multo tardius quam in aceto  
 vini, spiritus vero vitrioli vim omnem eludit. In aqua forti,  
 maxima cum effervescentia dissolvitur in particulas minores mi-  
 nimasque. In spiritu vero salis itidem dissolvitur, eadem fere  
 si non majore cum effervescentia. Substantias vero easdem in  
 menstrua infusione exhibuit, quas prædictæ terræ exposuerunt,  
 at lon-

at longe impuriore & crassiores. Ex aqua ab infusione decantata, eodem modo acquirebatur sal, sed in minori longe quantitate. Calcinata terra & prout decet lota, copiosas exhibuit arenulas, easque varias & nudo visibiles oculo, ac particulas martiales minimas, quæ magnetem illico sequebantur. Ex retorta aperto igne destillata, liquorem acidiusculum quoque exhibuit, cujus aciditas successu temporis in limpidum conversa est saporem.

## §. XXXIII.

Terræ autem Tokayensis species simplicissima, quæ rubricæ nomine §. XXIX. insignita, ibidemque paucis quoad exteriora, quæ in sensus incurrunt, descripta est, in saliva humana tardissime admodum dissolvebatur in majores, quam omnes ante adductæ terræ partes, sine ullo sensu stridoris alicujus, aut pugna solita corporum effervescentium observata. In aqua autem citius dissolvebatur in minores particulas, longe tamen tardius, quam reliquæ laudatæ ante terræ, & cum stridore & effervescencia majore, quam §. XXXII. laudata terra. Spiritus nitri vim, uti & vitrioli ac aceti vini omnem eludebat; at in aqua forti, cum effervescencia majore quam reliquæ terræ, dissolvebatur in minores adhuc particulas, quam quidem in aqua; idem etiam effectus apparuit visibaturque, si huic affundebatur spiritus salis. Calcinata terra, exhibebat arenulas copiosas minutiores quam §. præcedenti laudata, terra & particulas martiales minutissimas, quæ magnetem jucundissimo spectaculo sequebantur. In infusione menstrua, nihil mucilaginis unguinosi prodidit, ac decantata ab infusione aqua, exiguam admodum de sale simili reliquarum terrarum, dedit portionem, quæ, an aquæ aut terræ adscribi debeat, ipsemet hæreo? Destillatio ex retorta igne aperto nulla est tentata, quippe quæ inanis mihi, meo quidem tenuo judicio sic existimante, videbatur.

## §. XXXIV.

Ex quibus quidem tentatiunculis experimentalibus, illud quivis a præjudicio liber rerum existimator colliget, præfatas terras ad invicem, non modo forma externa, quæ in sensus cadit,

fed etiam partibus constitutivis differre, quippe, cum non modo colore, consistentia, pondere, gravitate, levitate & friabilitate &c. ab invicem differant, fed etiam in ipsa textura, & partium connexionem atque admixtionem, variaz reperiantur, ita, ut aliaz plus de sale, particulis martialibus, arenulis pyritis etiam substantiam referentibus, substantia unguinosa atque corpore terrestri stricte sic dicto, &c. aliaz vero minus aut de quibusdam parum, imo & nihil, possideant, prout id ex adductis experimentis quivis facile videre poterit. Unde etiam optimo jure concludi potest, quod hæ terræ etiam in sua natura diversæ sint, ob varietatem jam adductam, & in experimentis certo comprobata.

§. XXXV.

Illud autem nemo, uti quidem existimo, ex prædictis colligit experimentis, has terras esse natura solares, commixtasque habere particulas minimas solares, vel in sua substantia vel in minera saltem, quippe, quæ licet effervescent cum spiritu salis rectificatissimo, tamen non illico consecrarium deduci potest, quod omnino ob eam causam his ramenta auri, vel ad minimum hujus mineræ, inesse debere, quippe cum constet, spiritum salis certa ratione paratum eumque simplicem, aurum solvere unice & argentum tantummodo arrodere, prout id etiam confirmat *Celeb. JOH. BOHNIUS in Diss. Chymico-Physicis Diss. VI. §. 15. p.m. 164.* Effervescentiam vero ab eodem cum reliquis corporibus excitatam non confirmare, quod omnino illa corpora sint naturæ solaris alias enim id statui deberet, quod & lutum exsiccatum ejusdem naturæ sit. Non semel hoc tentavi, quo rumori vulgari, de terræ Tockayensis natura solari, vel subscribere vel contrariari ex fundamento vero possem, atqui solvi terras præfatas cum spiritu salis, fed licet copiam ejus haud contemnendam solvissem, atque spiritu decantato varios liquores admiscuissem, quo præcipitari potuisset solutum ab ipso spiritu, fed nunquam tam felicem mihi licebat esse, quo vel minimum auri habere potuissem, quin potius loco hujus sese præcipitavit magisterium albissimum prædictarum terrarum, quo examinato, nihil aliud inveni quam subtilissimam terram. Neque hoc fui contentus experimento unico, fed

sed accepi terram calcinatam, hancque more consueto in pulverem subtilissimum contrivi atque lavi, ac remanentes ponderosas partes terrarum prædictarum, mercurio optime depurato, uti fieri solet, commiscui, conterendo invicem in mortario lapideo, ac ex post junctim crucibulo immisi, ignique moderato imposui, ac stilo terreo massam agitavi, ita ignem dirrigendo, ne mercurius aufugeret. His per quadrantem horæ sic actis, in frigidum injeci omnia, & mercurium ope ablutionis a sabulo sejunctum per corium expressi, atque remanentem in sacculo coriaceo mercurium igni imposui, quo mercurius avolaret, aurumque quæsitum remaneret, sed nihil minus quam aurum in tegula, mercurio in auras fugato, reperire poteram. Quare inanis mihi cum deprædicatione terræ medicinalis solaris Tokayensis esse videtur, *laudatus SIEGESBECKIUS*, quippe qui hac sua Thrasonica exclamatione, agyrtarum potius morem sapiente, illud prodit, se cum hac nullum fecisse experimentum, adeoque ipsumet ignorare naturam prædictarum terrarum. Sed forte aliam ille inquirat terram metallicam præstantiorem ante adductis; audiamus igitur verba ejus: Ich verwahre zur Rarität von dieser *terra solari Tokayensi* eine kleine Probe, welche mir oberwehnter *Chymicus* sel. als mein gewesener Anverwandter davon schon vor 15. Jahren hat zuschicken lassen, sie siehet braun aus, ist mit kleinen Steinlein vermischet, auch mit vielen Gold-Flämmlein reichlich angefüllet: Ich wolte wünschen, daß man diese Goldische Krafft-Erde *in copia* haben könnte: Wie ich dann auch einige mal mich darnach umgethan, und ein und andern, mir selbe zu *procuriren*, *Commission* gegeben, aber immer nicht die rechte, sondern vielmehr von *vitriolischen* und *martialischen* Gehält, aber gar nicht mit Gold-Flämmlein angefüllete Erde erhalten habe. Pervellem autem ut clarius explicasset *Cl. Vir.* quid per vocem Gold-Flämmlein intellexerit, visuntur enim in mineris, quæ ne hilum quidem auri in se continent, quod maxime observare quivis poterit, in quibusdam mineris cupreis, quæ, quasi obductæ essent foliis auri, apparent idem etiam in marchasitis quibusdam, præsertim ferri, quotidie observare licet, ex quibus tamen metallurgi hætenus nullum elicere pote-

rant aurum; si itaque auri ramenta per hanc vocem indigitare voluerit, multum a vero aberravit, quippe cum prædictæ terræ, quo demum cunq̃ modo tractatæ, nihil auri inquisitori exhibent, si vero ramenta splendescencia & colorem auri aliquantum æmulantia pyritis sive marchasitarum, hac voce indigitat, non amplius tam rara erit hæc terra, quemadmodum ipsi quidem videtur, nec præstantia sua ita commendari poterit, quippe indigna elogio *SIGESBECKIANO*, prout ex dictis quivis a præjudicio liber, facile videre poterit.

§. XXXVI.

Ecquidem si verum esset, terram præfatam esse auri fertilem, amplius mirari haud deberet, qui fiat, quod in vineis sæpius virgæ aureæ ipsam vitem cingant, quale exemplum exhibet *Cl. MATTHIAS BELIVS in Prodrom. Hungræ antiquæ & novæ Lib. III. Cap. XI. p. 153. in not.* (cujus etiam iconem exhibet) inquit: *Auream hanc virgam viti adnatam Tockayensi, annis superioribus amicorum nonnemo attulerat. Æquabat pondus ejus numos aureos quindecim, sed auri præstantia ipsum quoque obryzum gradibus duobus superabat.* Imo quod majorem admirationem causat, (nam haud raro ex terra aurum vegetabilium more excrescere, observationes fide dignæ docuerunt, & ipse quoque vidi in Cottu Lyp-tovienfi aurum tale vegetabile, quod in agro intra triticum crescebat, & quidem in territorio Andras-falvensi, quod oppidanus ex *K. Mileloss* a pastore quadam vili ære emerat, atque ex post Neöfolii sexaginta florenis Rh. vendiderat. Dominus vero terrestris *Speçtabilis ac Perillustris Dominus ANDREAS PONGRAC de K. Mileloss & Ovar, Regni Hungariæ Vice-Palatinus* &c. hæc reficiens, oppidanum *PAVLVM HLAVACS*, sic enim vocabatur, adegit tanquam subditum suum, ut redimeret, atque quem spectabat jure regni, huic daret, videlicet Domino terrestris. Tale filum aureum, decem aureos ponderans, e terra prodiens & vitem cingens, in vineis Madensibus, ante plusculos annos, inventum, in museo meo patriarum rerum naturalium conservo. Sic etiam se dono exhibuisse filum aureum, quod rusticus in scaturiginis arena invenit, scribit *JOH. PATERSON HAIN in Ephem. Nat.*

*Nat. Cur. l. c. Observ. CXIII. p. 188.*) sæpissime aurum ex imis venarum latebris & vitem supra terram crescentem permeare, & affatim perfumare, uti loquitur *JOH. DANIEL MAJOR* in *Tract. de Lacte Lunæ Cap. III. §. II.* atque in uva ejusdem grana constituere sæpe revera aurea, affirmat laudatus ante *J. PATERSON HAIN*, *l. c.* referens *Ladislauum Timere, Vice-Comitem Cottus Templimensis* Ao. 1670. in sua vinea inuenisse uvam, in qua omnes acini erant aurei; talemque etiam possedisse *Dn. Leryferner*, civitatis *Eperienfis* judicem, ac se dono dedisse *Illustrissimo Dn. Alexandro Lutomawkleo, Palatino tum Cracoviensi*, qui ex uva excipiebatur, quemque faber examinando in lapide lydio, invenit 27 Caratorum Dominumque Petrum Vay granum sibi donasse, quod manu propria ex uva exemit, ac grana 40. pendebat. Si enim terræ prædictæ solares revera essent, illico quoque appareret ratio, qua de causa non solum terræ aurum producant vegetabile, sed & vites acinos in uvis exhibeant aureos. Cum autem secundum superius dicta id de terris prædictis affirmari haud possit, hinc alia quoque ratio investiganda est, nec illico observationibus adductis veritas deroganda erit, prout fecisse legimus *Cl. JOH. AD. REIMANNVM* nostrum, in *Annal. Med. Phys. Wratisl. A. 1718. Mens. Octobr. Class. IV. Art. 14. 17. 35.* quippe, cum exemplum ejus aductum non sit conforme illis, quæ adduxit laudatus *PATERSON*, nec relationi aurifabri multum fidendum veniat, quippe quorum relationes, magis ad ostentationem scientiæ suæ, (quæ tamen non est scientifica) vergunt, unde sæpius etiam eruditus imponunt. Sed de his alibi ex instituto dicetur.

#### §. XXXVII.

Tantum itaque auri cum insit terris metallicis & medicinalibus Tockayensibus, quantum uvis inesse observavit laudatus *REIMANNVS*, cum ex antedictis satis superque constet; sic etiam quivis a præjudicio liber rerum existimator facile colligere poterit, quo jure præfatæ terræ solares audiant, hocque insigniantur elogio. Profecto, si quis rem accuratius examinaverit, illico profitebitur, hoc elogium his attributum, esse somnium Philosophorum per ignem, quibus omnia aurea esse debent, adeoque

etiā

etiam illi qui id faciunt, merito hujusmodi Medicis annumerantur, quibus omnia arcana aurea sunt, unde etiam Doctores aurei appellantur, uti id recte exposuit *Cl. JOH. KANOLDVS, Annal. Phys. Med. Ao. 1721. Mens. Augusto. Class. IV. Art. XIII. p. 183. sq.* Ecquidem non miror, quod terræ hæc Tockayenses solares appellantur, cum id etiam accidit, usuque evenit & olim, & quidem *CRATONIS* jam tempore, quippe qui *l. c. p. 533.* testatur, margam quandam, quæ multis in locis Ducatus Silesiæ eruebatur, axungiam solis a Paracelsi sectatoribus appellatam, denominatamque fuisse, in specie vero terram figillatam Silesiæ stringentem, anxungiam solis appellari, propterea, quod sulphure solari imprægnata esse videbatur, testatur *sepe laudatus SCHROEDERVS l. c. p. m. 309.* Imo ipse *SIEGESBECKIVS l. c. p. 537.* de Turcica, Melitæa & Lemnia, ipsaque terra etiam Strigoniensi refert, eas dictas fuisse terras solares; ast improprie admodum, & quidem ex ea ratione, quod in examine earum nullum vestigium sulphuris solaris in iisdem invenit. Jam si hoc ex propria confessione *Cl. Viri*, pro vero assumet quis, atque conferat judicium *CRATONIS l. c. p. m. 533.* de terra figillata Strigoniensi exhibitum ac probatum, videlicet: dum terram eandem, Hungariæ terræ haud multum assimilem esse asserit, illico apparebit, & terram medicinalem Tockayensem, eodem etiam jure, in illarum classem esse referendam, quæ improprie appellantur terræ solares ex confessione etiam propria *Doctiss. Viri*; mirari sane profecto debeo, quo ausu idem *Cl. Vir* asserat, terram in Vetteravia, haud longe a Labaco oppido, effossam, a *SCHROEDERO* dici solarem, cum tamen *SCHROEDERVS l. c.* tantum æquiparationem instituat Labacensis & Strigoniensis terræ, dicatque, Labacensem in Vetteravia ad axungiam solis, i. e. terram figillatam Strigoniensem accedere; Audiamus igitur verba ejus: Ita enim inquit: *Sic & in Vetteravia, haud longe a Labaco oppido, species quedam terræ datur, quæ ad anxungiam solis accedere videtur.* Unde patet *SCHROEDERVM* haud statuere terram Labacensem esse solarem, sed tantum accedere ad axungiam solis, jam anxungiam solis appellat in antecedentibus terram figillatam Strigoniensem

sem, ergo debito consecrario illud consequitur : terram Labacensem accedere natura & proprietatibus suis ad terram sigillatam Strigoniensem. Hæc cum ita sunt, quomodo fieri potuit, quo terra hæc Labacensis ad solares referri a *Cl. SIEGESBECKIO* poterat? quippe quæ si convenit cum terra sigillata Strigoniensi, secundum jam dicta & confirmata, hinc etiam in eadem classem cum terra sigillata Strigoniensi referri debet; jam terra sigillata Strigoniensis ex propria confessione *prælaudati viri*, ad improprie sic dictas solares refertur, sequitur ergo, & eandem Labacensem in eandem classem referri debere. Atque hæc non tantum deductione hac logica demonstrari possunt, sed ipsa collatione prædictarum terrarum ad invicem, ex qua sufficienter apparebit, has non modo proprietatibus sed & natura esse plane æquales. Quæ uti verissima sunt, sic etiam consequitur, *Cl. Virum* non amore veri, sed potius ex cæco amore sulphur solare eliciendi, hæc protulisse, quæ quia id nondum comprobant, hinc viderit, quo certiora pro hypothesis sua proferre, sicque eandem stabilire revera possit.

### §. XXXIIX.

Hæc dicta uti sufficiens testimonium perhibere possunt, terras metallicas Tokayenses omnino omnis admixtionis particularum ramentorumque auri esse expertes; illud tamen adhuc ulteriore indagatione investigationeque indiget, videlicet, licet terræ dictæ, auri ramentorum exilissimorum sint expertes, illisque refera destituantur, attamen sulphure auri easdem esse præditas, majori etiam in copia seu quantitate quam aurum ipsum, & ob hoc sulphur solare vim suam præstantissimam ac efficaciam non satis laudandam in affectibus œconomix animalis morboſis sive præter naturalibus, habere, prout *idem SIEGESBECKIVS l.c. p. 538.* audacter satis statuit asseritque, adeoque optimo jure dici solares posse & debere. Verum enim vero, illud lubens cum *Illustri J. G. Nobil. a BERGER in Diss. de auro potabili p. 31.* confiteor verum esse, quod nulla metalli vena destituitur sulphure, quippe cum experientia satis superque confirma-

vit hætenus Metallurgos indefessos, quid sulphure fugato, substantia quæ antea cohærebat, in cineres redigatur. At si quis statim exinde colligere vellet, massas corporeas, sulphure præditas ac a natura dotatas, omnino esse & dici debere solares, profecto multum a vero aberraret: Nam in dubiis experimentis a Chymicis sanioribus hætenus institutis constat, non tantum regni mineralis, sed & animalis ac vegetabilis corpora sulphure esse prædita, ita, ut ex corporibus animalium & vegetabilium, verum sulphur minerale præparari & elici possit. Atque hæc tentamina *Celeb. BECHERI, in Physica subterranea* & in aliis scriptis ejusdem passim occurrentia ita comprobant, ut ea de re nullus amplius, ne ipsi quidem adepti Philosophi per ignem dubitent. Is enim diligentissimus experimentorum Chymicorum scrutator, refert *Collegam suum Doctorem videlicet RAPP* ex cantharidibus certa encheirisi, aurum confecisse. Porro etiam tradit, quomodo ex oleo & pinguedine confectum sulphur minerale, imo sulphur verum martis, verum aurum gradari possit. Neque ignorantæ sunt observationes ipsaque etiam experimenta *Illustris G. E. STAHLII in Specimine Becheriano*, quippe quibus adjutus, tandem concludit, quod inventum aurum in rivulis ac fluviis originem suam habeat, a resinosis & sulphureis particulis vegetabilium, in specie vero lignorum pro foco & ædificiis destinatorum. Idem etiam confirmat pulvis ex vegetabili paratus, & in reductione verum aurum demonstrans, qui ut vult *BECHERVS* ex tamariscis confici potest; Imo observatio *Cl. J. H. DEGNERI in Annal. Medico-Physicis Anno 1722. Mens. Aug. Class. IV. Art. XVI. p. 215. seq.* rem totam sole meridiano clarius, demonstrat, dum inquit: Und es ist dieses so ungläublich eben nicht, wenn man *consideriret*, daß aus denen Holz-Kohlen ein wahrer mineralischer Schwefel könne gemacht werden, welcher alsdenn schon in eine Sündische Erde verändert werden, oder eingehen kan. Sed omnino rem totam propalant relationes *PHIL. JAC. SASCHS a LEWENHEIM Gammarol. Lib. I. Cap. IX. §. 11. p. 187. & Cap. XIII. §. 11. p. 270.* quibus potissimum id evincitur, quod haud sit impossibilis vegetabilium in mineralia transmutatio. Ex dictis itaque patet, inconsiderate ad-

modum

modum eundem, confectarium deducere, qui colligeret ex ante  
an ductis experimentis & observationibus celeberrimorum Natu-  
ræ consultorum, quod omnia corpora, ex quibus sulphur minera-  
le vel solare, ut cum deceptoribus loquar, elicitur, dici debeant  
& sint solaria. Sic enim sequeretur, & cantharides, & olea, & a-  
xungias animalium, atque ipsa etiam vegetabilia superius de-  
nominata, dici debere solaria. Imo in regno etiam minerali,  
nitrum ipsum audire deberet solare corpus, quippe, quod secun-  
dum observationes *Cl. DEGNERI l. c. p. 216.* etiam sulphure sic  
cto solari, præditum est. Verum longe alia est ratio sulphuris sola-  
ris, quam quidem volunt Chymicorum quidam ignorantia & ti-  
tulis solaribus dumidi fratres, quippe cum constat ex ante addu-  
ctis observationibus, universaliori in sensu, id assumi debere,  
quam quidem hætenus factum; cum ut demonstravit abunde fa-  
tis *Illustr. STAHLIUS in Tract. de sulphure,* quod substantia illa sul-  
phurea sive principium, secundum illorum loquendi morem, i-  
dem & æquale, in omnibus tribus Physicorum regnis sit, ac propter  
hanc similitudinem, ex unius regni corporibus, in alterius corpo-  
ra reduci potest. Adeoque recte rursus, *laudatus Nob. Dom. a BER-  
GER l. c. §. XV. p. 31.* inquit: *Ac vero maxime est consentaneum,*  
*quia cuncta metalla in multis proprietatibus conveniunt, ex una mate-*  
*ria omnia consistere, sed alterum ab altero differre ob partium purita-*  
*tem & exactam permissionem.* Quod uti verissimum est, sic etiam  
clarissime illud evincitur, & sulphur in omnibus regnis Physico-  
rum idem & æquale esse, quod exempla & observationes superius  
adductæ confirmant; in specie vero sulphur metallorum in cor-  
poribus sive massis regni mineralis, ut superius adducta experi-  
menta, sole meridiano clarius evincunt, esse idem & æquale, vel  
id evincit, quod maximo conatu & labore nec minoribus sumpti-  
bus, ex auro paratum sulphur, sulphuris vulgaris odorem ha-  
beat, testantibus id *BORRICHIO, PAYNCKIO, BONIO,* & aliis,  
hinc dum sulphur auri, sulphuris odorem communis redolet, ne-  
cesse est, ut & in ipsa natura conveniant ad invicem, præsertim  
cum certum sit, quod sulphur auri æque ac sulphur commune,  
salinas & unctuosas partes complectatur: Idem etiam demon-

strat. de sulphure antimonii *Celeb. BOHNIUS l. c. Diss. I. p. m. 12. §. XIII.* Hoc uti verissimum est, sic quoque facile liquet, nullam habere prærogativam sulphur, in specie auri, præ antimonii & c. imo etiam præ sulphure communi, præcipue cum indubitatis constet experimentis, sulphur auri examinatum probe & debite seorsive nullum vestigium auri præbere, ut id etiam sancte testatur *laudatus supra Clar. DEGENERVS l. c. p. 212.* Adeoque etiam vere concludit omnibus circumstantiis accurate pensitatis, inquitens: Also halte ich vollkommen dafür, und werde es nun zu erweisen suchen, daß der *sulphur solare* kein so *a partes* und besonder hohes Wesen sey, gleich wie man immerhin einander nachschreibet, sondern daß er nur, so lange er in solcher festen und Guldischen Erden Vermischung bleibet, derselbigen Namen und Achtung *meritiret*, sonst aber, und auffer solcher Vermischung, einerley Grund-Wesen und Eigenschafften mit dem gemeinen Schwefel-Wesen gemein habe. Atque hujus judicium veritatem cum in sequentibus fufius demonstrasset, tandem rursus in sequentia verba erumpit, *l. c. Mens. Sept. Class. IV. Artic. XII. p. 328.* inquitens: Und dieses düncket mich genug zu seyn, erkennen zu können, daß der *sulphur solare* kein so hohes und ungemaines Wesen, sondern bey nahe über all, und nur in einen mehr als in den andern, *metallisch guldisch specificiret* sey, mit hin aus dem gemeinen ein guldischer und aus dem guldischen wieder ein gemeiner *sulphur*, und in ihren Grund-Wesen eines werden können, folglich seinen *æstim* nicht anders als in seiner guldischen *mixtion* behaupten könne, so lange er nemlich darinnen stehen bleibe und Gold sey. Ex quibus igitur, æqua rationis libra examinatis, facile patet, quo sensu & terra metallica Tockayensis, aliæque supra adductæ, dici possint solares: Videlicet generali admodum loquendi modo, ac quod sulphur illud, solare sic dictum, non unice corpori sive massæ auri, sit specificè dictum, sed omnibus corporibus præsertimque mineralibus universaliter competat, hinc, ex ea etiam ratione, quod & terræ prædictæ Tockayenses, metallicis, ac in specie martialibus partibus, a natura sint dotata, æque ac aliæ metallice massæ, sulphure solari præditæ esse, atque adeo & solares dici possunt. Hoc modo si dixerit quis, terras  
Tockay-

Tockayenses esse solares, non multum contrariabor, at si more *Cl. SIEGESBECKII* cæco amore in solaria medicamenta ducti, solares dicerentur, minime consentire possum, quippe cum terræ laudatæ, nihil auri in corpore suo foveant, sulphurque earum (generali sensu loquendo) ac ipsius etiam auri secundum allata supra, nullum vestigium auri examinati idem præbet, unde illi, qui hoc affirmare vellent, ulterior ejus comprobatio & confirmatio, incumbit, si alias ignorantiam suam cæco impetu asserendo, solum in rebus Chymico-Physicis, haud prodere voluerit.

## §. XXXIX.

Idem esto iudicium de terræ Tockayensis albæ sulphure lunæ, si quis Chymicorum huic etiam idem adscribere voluerit, prout factum legimus apud *SCHROEDERVM l. c. p. m. 309.* Terræ sigillatæ albæ & cineræ Lignicensi, atque idem etiam testatur *VALENTINVS l. c. §. 4. p. 2.* quippe cum nulla ramenta vel vestigia lunæ, in laudata terra Tockayensi, inveniuntur, sulphur autem, si quod elici ex his potest, non lunare, specificè loquendo, sed minerale dici debet, eo quidem sensu, quo solare etiam possidere sulphur reliquæ terræ dicuntur. Deficiente enim corpore lunæ, etiam in minimis ramentis tantum in massa terræ Tockayensis, nullum etiam sulphur naturæ lunaris, elici ex illa potest, quia potius, si aliquid adhuc elicitur, non in speciem lunare, sed generaliori in sensu, minerale appellari potest & debet; Eo itaque jure, quo reliquæ terræ solares dicuntur, & hæc lunaris nominari potest, videlicet, quod sulphur omnibus mineralibus commune in his deprehendatur, adeoque etiam eodem jure quo appellatur terra lunaris & solaris, & venerea & martialis dici potest, videlicet, quod hoc sulphur commune sit, prædictis metallis omnibus.

## §. XL.

Ex his itaque omnibus, quæ hæctenus ad detegendam partium variarum mixtionem adduximus, illud quidem clarum evadit, quod omnes hæc terræ in constitutione mixti habeant & agnoscant massam aliquam terrestrem, cum proportionata portione aquei humoris perfusam, hisque admixtas massas salinas, are-

nosas, marchasitæ, & martiales ac unguinosas. Ex quibus patet, recte quidem statuisse *ARISTOTELEM Lib. IV. Meteorol. Cap. VIII.* quod omnia terrea habeant pro materia terram, cum aliqua portione aquei humoris; at hæ non sufficere ad constitutionem mixti terræ Tockayensis, quia plura alia, nobis etiam hæctenus incognita, in sinu suo fovere ex supra dictis luce meridiana clarius patet. Atque hæc uti confirmatione ulla haud indigent, sic quoque hæsitandi, unde unguinosam substantiam hæ terræ mutantur, facile patebit, præsertim si quis paulo penitius, fucci lapidifici, ac halituum metallicorum naturam, scrutaverit, illico enim ex horum cognitione concludit, unde hæ terræ substantiam suam unguinosam habeant. De succo autem lapidifico, cum a libi ex instituto differetur, nunc nihil adferam, sed de habitu unguinoso id notari debet, quod is omnino in fodinis observatur, adeoque etiam facile colligi potest, ex hoc quoque & terras Tockayenses unguinositatem suam habere. Nam præter *JOH. AGRICOLAM in Not. ad Tract. Poppii de Antimonio*, de hoc testatur fidus ille naturæ interpretæ *ROBERTVS BOYLAEVS in Chymistis sceptico Paradox. Chymic. Phys. p. 239.* quod inter fodinas Hungaricas, ex profundis ibidem specubus, erumpat vapor calidus, & aliquamdiu post, forma unctuosæ & splendida parietibus adherat. Cum itaque halitus, quamvis non semper ejusdem naturæ metallicæ, sæpiusque plane liber ab omnibus ramentis mineralium, in locis præsertim mineris abundantibus aliisque natura variis, pro locorum varietate, ubique universaliter certa proportione ad peripheriam globi terraquei continuo ferantur, hinc quoque & hæ terræ, ab hoc unguinositatem suam fortiuntur, varie quidem pro varietate ipsorum halituum.

## XLI.

Nemo autem ut opinor amplius, ex terris Tockayensibus plus sibi pollicebitur, quam quidem revera in sinu suo sovent, hinc etiam facile superfedere possum, in ulteriori partium constituentium enumeratione. At Philosophis aurariis, imo medicis etiam hoc elogio notis, in gratiam illud quoque adnotare lubet, quod non minus curiositate sua, curiosos attonitos veluti relinquit,  
quam

etiam clarissime exponit, falsitatem hypothesium, Philosophorum aureorum, e contra, veritatem hæctenus, a me, cum fanioribus Chymicis, assertorum, videlicet, quod artificio *BECHERI*, ex terra figulari cum oleo lini ferrum haberi possit, quod etiam imitatus est *CASP. CRAMERVS* in *Diss. de Transmutat. Metallorum*, dum ex eodem oleo lini & ochra cuprum confecit. Nullus autem credo existimabit, ferrum vel cuprum, in limo, ochra & oleo ante dicto latuisse, adeoq; ex his artis ope elici ferrum & cuprum posse, quin potius, id certo sibi persuasum habeat, quod recte suspicabatur *Celeb. DAN. MORHOFIVS* in *Epist. de Transm. Metallorum*, confici omnino ex illis præfata metalla, non vero educi ex eorum massa. Recte itaque laudatus sæpe & nunquam satis laudandus acutissimus *Nob. Dom. a BERGER* l. c. §. XIII. p. 26. de hoc negotio ita concludit, inquiens: *Quædam metalla non solum separatione partium inflammabilium, in vitra & terram converti, atque restitutione inflammabilium reduci ad pristinam formam, sed & ex dissimilium conjunctione rerum, quarum centra metallum est, arte effici queant.* Unde patet, licet quis ex prædictis terris Tokayensibus, aliquando elicuisse se existimaverit, aurum aut argentum, non illico credendum est, tanquam in his revera præextitisse vel aurum vel argentum, quia potius tuto statuendum venit, hæc ex dissimilium cognitione rerum. originem suam sumpsisse & habere Id quod optime animadvertens *DEGNERVS* l. c. p. 215. rationem quoque hujus rei satis feliciter exposuit, inquiens: *Also könte man leicht anweisen, daß überall, wo man nur eine farbichte Erde finden mag, daselbst auch ein güldischer (per superius demonstrata) sulphur innen liegt, und nur einen Künstler erwarte, der das selbige in wahrhaftig Gold zu bringen Belieben und Verstand habe.* Ja wäre es denn so gar fremde, wenn man ferner behauptete, daß an allen Orten und Enden der Welt in *animalibus, vegetabilibus & mineralibus*, ein solch *aurum embryonale*, in feuchts und trockener Gestalt zu finden, und in eine güldisch-metallische *mixtion* einzuführen sey? als wäre es ein Schwein-Schmalz und Schuster-Pech, ob wohl eben nicht so *immediate* und Centner-weiß, dennoch *per gradus*, und nur zum unwidersprechlichen Zeugniß dieses allgemeinen Schwefels

Schwefel-Besens, welches nach Unterscheid des *subjecti* mehr und näher mit einer bequemen und metallischen Erde *specificiret*, mithin in grosser oder geringer *Quantität* in die metallische *mixtion* auch fernerhin eingehen, und zu wahren Golde werden kan. Et p. 216. hoc negotium explicat ulterius verbis sequentibus, inquires: Und noch ist bekandt, daß das Schwefel-Besen in diesen 3. letztern *subjectis* nicht so sehr an sich, (*sulphur videlicet auri, antimonii & cupri*) als man wohl meinen möchte, sondern nur *ratione* ihrer verschiedenen Vermischung, unter einander *differiren*, und daß er sich aus dem einen in das andere versetzen, ja auch wohl wiederum in seine vorige Gestalt darstellen läßt. Also wollen auch ferner einigen *sulphur cupri* und *antimonii* zu gar hohen Dingen und würcklichen Golde *recommandiren*, und den gemeinen Schwefel wollen einige *per se*, andere mit Zusatz *vitrioli, mercurii* &c. wiederum andere durch beständige Aufwerffung desselben auf fließend Silber, in eine güldische *mixtur* einbringen, wie davon in des *BECCHERI* chymischen *Concordanz* seiner *Physica subterranea*, und *Doct. Stahlis* Schrifften hin und wieder nachdenckliche Anleitungen gegeben werden. Ex quibus patet, quid de auro argentove tenendum sit, quod si quando ex prædictis terris quisquam Chymicorum se parasse existimaverit, videlicet, illud non eductum, sed confectum, secundum jam probata, fuisse, existimandum est.

§. LXII.

Ex hæcenus prolixè satis expositis, illud de terris metallicis Tockayensibus statuere vere licet, easdem nihil aliud esse, quam venas metallicas immaturas: Ex relatione enim *ANDR. CAESALPINI Lib. III. de Metallis. Cap. VI.* constat, quod terræ inanes procedente tempore, in venam convertantur metallicam, unde patet, venas metallicas primo existisse inanes & liberas a veris atomis metallicis, successu vero temporis per continuas exhalationes effluviõrum in venas abiisse metallicas, nec illico fuisse maturas, quippe cum observatione quotidiana edocti metallifossores, illud testantur, sæpius inveniri venas immaturas, quæ successu demum temporis ad maturitatem suam perveniunt, unde sæpissime videas, easdem fodinas quasdam ad tempus desertas

tas derelinquere, non aliam ob causam, quam quod vena in his immaturæ adhuc reperiuntur; id quod *ALB. ALONS. BARBA Lib. de Reb. Metall.* quoque in Potæfianis Americæ meridionalis montibus contingere, ac neminem illorum latere, testatur; atque hæc non tantum statuere, sed etiam luculentissime confirmare possum, terras videlicet nostras nihil aliud esse, quam venas metallicas immaturas; testantur enim easdem metallicas esse, ramenta martialia, magnetem sequentia, quibus omnes præditas esse, superius traditi: Neque novum est, reperiri terras metallicas in ipsis fodinis metallicis, quippe cum pleræque tam veteribus cognitæ, quam nostro etiam ævo inventæ, ex his eruantur. Maximum autem argumentum contra præsentem assertionem esse videtur, quod hæc terræ Tockayenses & reliquæ omnes, admodum friabiles sint, ac propterea etiam friabilitas illa, inter proprietates terrarum medicatarum sive metallicarum numeretur, at venæ metallicæ immaturæ etiam friabilitatem hanc non agnoscunt, sique etiam hanc agnoscant, non tamen in eodem gradu, eadem in venis, quam quidem in laudatis terris ostendunt. Unde igitur facile quis colligere possit, has non recte dici posse venas immaturas metallicas. Verum enim vero, facile concedimus, venis metallicis non in eodem gradu, vel etiam plane non, pro varietate venarum metallicarum, competere friabilitatem, quemadmodum possident terræ metallicæ; ast illud maxime considerandum est, quod terræ metallicæ ex venis metallicis immaturis ortum suum habeant, videlicet, cum halitus fervidissimi & acres venas præfatas metallicas permeant, easdem rodunt ac nexum earum dissolvunt, ac in talem substantiam terream & friabilem mutant. Atque hoc eo facilius halitus in venis metallicis immaturis præstare possunt, quo certius constat, easdem & metalli venas maturas ac feraces ita dissolvere ac dissipare, ut veluti carie senioque consumere, ut visis relictis exustis foveis cum favillis, merito sero se venisse conqueri debeant fossores, uti id memoriæ prodidit *LOHNEISIVS de Fodin. Metall. Part. I.* & speciatim de fodinis quibusdam Bohemiæ in ditione Cubitensi, *THEOBALDVS in Arcan. Nat. Sect. XX.* quo loco se vidisse refert

metallum primo effossum, quod marcidum omnino, victum, & nullius jam rei esset, quo etiam collimare videtur *OVIDIVS* canens:

*Tabida consumit ferrum, lapidesque vetustas.*

Unde etiam non esse contrarius statuenti, deducuntque originem terrarum metallicarum ex ipsis etiam venis metallicis maturis, sed halitibus fervidis acrisque dissolutis & corrosis, quippe cum & ex his nulla obstanti ratione, quemadmodum ex immaturis etiam terræ metallicæ ortum habere possunt præsertim cum constet quod metalla eo usque corrupta ab aëre falso fuerint, ut inter digitos compressa, feni instar torrefacti dissoluta & contrita fuerit, confirmante id *JOSEPH. a COSTA Hist. Ind. Occid. Lib. III. Cap. IX.* De his halitibus fervidis autem credo nemo dubitabit, cum de iis metallifossore sufficiens testimonium perhibere possunt, ac testantur quoque de his *JOH. BAPTIST. MORINVS, EDVARDVS BROWN, JOH. BEGVINVS* & alii in scriptis suis, eosque describit licet ex hypothesi, præter *RENATVM des CARTES Part IV. Princip. Phil. ANTONIVS le GRAND. Inst. Phil. Part. VI. Art. VIII. N. 5.* adeoque in ejus ulteriori descriptione & fusiore comprobatione facile superscedere possum, quippe cum *Celcb. FRID. HOFFMANNVS in Diss. sistentem Metallurgiam Morbiferam §. X. p. 14.* plurimis evicit exemplis, quod mineræ in calcem effoetam, & lapides in calcem cretaceam ab his halitibus redigantur. Illud autem jam ex dictis satis superque constat, differre omnino terras metallicas, ab ipsis venis metallicis immaturis, sed illas ex his ortum suum habere.

§. XLIII.

Cum itaque ex dictis luculenter satis constet, terras metallicas omnes, ac in specie etiam Tockayenses, nihil aliud esse, quam venas metallicas immaturas, per halitus fervidos ac acres in substantiam terream ac friabilem mutatas, hinc etiam facile patet, diversitas ipsarum terrarum metallicarum; venæ enim metallicæ cum variæ sunt, necesse est sequatur, & producta ex variis venis metallicis etiam differre debere, pro varietate ipsarum venarum metallicarum. Varias autem & differentes esse venas, haud

haud multa comprobatione indiget, quippe cum vel foli metallosores satis superque de his testentur, ratioque etiam clare satis evincat, quod in tam differente varietate metallorum, & venarum earundem, variaz esse debeant. Ecquidem verum est, quod cuncta metalla, quia in multis proprietatibus conveniunt, ex una materia consistunt; illud tamen nullo modo sequitur, quod eadem undiquaque fit sibi similis & æqualis, quin potius id omnis æquus rerum existimator mecum judicabit facillime, quod non modo materia eadem in diversis mineris puritate & exacta permissione differat, sed & concursione variarum aliarum partium sese varie complectentium, differentiam in mineris constituat; uti id ad oculos patet in mineris quibusdam, quæ in una matrice diversa sistunt metalla, quales aliquot etiam inter curiosa patria possideo, quippe quæ eleganti & jucundo spectaculo, & purissimum aurum ac argentum visui exponunt. His accedit, quod exposuit, pro more suo acutissime *Illustr. Nob. Dom. a BERGER l. c. §. XIII. p. 27.* inquit: *Cum igitur metalla arte in partes, quarum neutra metallum est, dividi & confici etiam rebus, que nullum contineat metallum diversis possint, nec raro ipsius vi naturæ in partes diversas discedant metalla ac dissipentur, quid abest, quo minus eadem nunquam cessantis ope motus atque caloris subterranei, in tam incredibili terrarum, sulphurum, salium & succorum, ac rerum aliarum, quas terra continet, varietate & multitudine & varia quidem metalla ex variarum conjunctione partium in suis matricibus variis, hodieque conflare & gigni opinemur? Unde liquido, his accurata pensitatione examinatis, constat, terras metallicas suam quoque varietatem & differentiam habere, a varietate venarum metallicarum, tam maturarum, quam etiam immaturarum, per halitus ferventes & acres erosarum ac dissolutarum, adeoque etiam terrarum metallicarum, eandem itidem agnoscunt differentiam, quam venarum ipsarum metallicarum. Num autem idcirco appellari possent solares, quod ex vena metallica solari suam duxerint originem, vix assentire possum? quippe cum & venarum immaturarum, aut metallo suo orbatarum, tantum de auro sistunt, quantum ipsarum terrarum, adeoque licet venarum illarum metallicarum, dici possent solares, quod vel au-*

rum cum tempore ex his educi elicique possit, vel id ante in sinu suo fovebant, illud tamen de terris, cui quæso affirmare, sine maximo errore ratiocinii licebit? Prout enim & immaturæ venæ magnam subeunt mutationem, donec ad maturitatem suam perveniant, ut ex his perfectum elici possit aurum; ac illæ etiam quæ licet auro erant prægnantes, attamen ab halitibus subterraneis steriles & inanes factæ sunt; sic quoque & terræ hæc, multum quoque differunt, ab ipsis venis maturis erosis & immaturis etiam, ob eandem quidem mutationem quam subeunt, dum in terrarum metallicarum substantiam mutantur.

§. XLIV.

Atque hæc uti verissima sunt, nec a quoque vero in dubium vocantur, sic quoque ratio patet, qui fiat, quod in uno eodemque loco diversæ inveniantur terræ, quodque in quibusdam locis plane non inveniantur? Cujus quidem rei ratio evidentissime demonstrari potest, si antecedentia paulo acuratiore lance libremus; ex dictis enim constat, & ipsas venas metallorum non modo ratione perfectionis differre, verum etiam varia reperiri & erui, habito respectu ad ipsa metalla, quæ in sinu earundem latent ac veluti occlusa habentur; imo ex una eademque minera varia haberi possunt metalla, quemadmodum id in diversis mineris, quas possidet curiosa mea patria collatio, in specie vero Rosnaviensibus demonstrare possum; unde liquido patet, non adeo mirum esse, dum observamus, in uno eodemque loco, varias quoque erui terras, quod potissimum etiam in terris medicinalibus Tockayensibus, usu venit, quippe quæ, prout superius adnotatum est, etiam variæ in uno eodemque loco reperiuntur, ita, ut alba & rubra strati ad instar, in locis suis videantur ac observentur. Cum enim per superius demonstrata, terræ metallicæ, venas metallicas immaturas potissimum, sæpius etiam maturas, sed erosas & dissolutas atque steriles redditas, pro matricibus agnoscunt, atque ex his ortum suum sumunt, nihil igitur obstat, quo minus hanc differentiam terrarum metallicarum, in specie vero Tockayensium, a varietate venarum metallicarum, deducam, quippe cum productum ordinariæ & semper testatur de sua

sua causa & origine, huicque semper est proportionale & æquale, per demonstrata *Celeb. CHRIST. WOLFII in Aerometr. Element. Axiom. III. Schol. I. p. m. 13. sequ.* Neque illud quidem majore indiget admiratione, multo minus demonstratione, quod non ubique locorum terræ inveniantur metallicæ, quippe cum nec ubique metalla generentur venæque metallicæ inveniantur, ex his enim cum ortum habeant terræ metallicæ, hinc mirum non est, si venis metallicis destituatur locus aliquis, quod nec in hoc reperiantur terræ metallicæ, tanquam producta ex venis metallicis. Quod vero non omnis tellus, ferat geratque venas metallicas, rationem solide exponit laudatus sæpe *Nob. Dom. a BERGER l. c. §. XII. p. 33.* inquit: *Sed quia non ubique terra unius generis materiam, gignendis metallis idoneam, utero suo gerit, sed variis locis variarum generibus naturarum facta est, nec per ubique calor existit, ideoque non omnia fert omnis tellus, & alia fossilia nunc procul a superficie telluris, alia in profundiore sinu generantur.* Ex hætenus autem propositis, jam illud sequi quisquam existimare posset, quod ubicunque metallorum venæ reperiuntur, ibi quoque & terras metallicas reperiri debere. Quod quidem deductum confectarium, uti verum existit ex parte, dum in plerisque metalli fodinis, & terræ reperiuntur metallicæ, ac pleræque hætenus notæ terræ metallicæ in his eruantur, uti ex superius dictis, unicuique colligere licet. Cum autem etiam multæ dentur fodinæ metallicæ, quæ terris prædictis haud superbiunt, hæque reperiuntur in multis locis, ex quibus nunquam eruebantur metalla; illud confectarium non ita universaliter etiam admitti potest, quippe cum non tantum ad generationem sive productionem terrarum metallicarum, requirantur venæ metallicæ immaturæ potissimum, sed præterea etiam requiritur, ut illæ venæ, per halitus fervidos & acres, erodantur & dissolvantur, ita, ut in talem massam, permeando substantiam totam venarum metallicarum, friabilem abeant. Jam si halitus hi non sunt ita fervidi, neque tam acres, sed a calore modico eoque temperato diriguntur, ut ejus agitatione, & divisio minimorum & exhalatio & conveniens cuique permixtio ac temperatio conjunctioque recta perfici-

atur, hinc potius venæ prædictæ immaturæ ad maturitatem perveniunt, metallaque exhibent investigatoribus. Cum igitur calor subterraneus, licet per idoneas venas vagetur & diffundatur, neque omni adeo terræ aut unicuique ipsius parti, unus & idem est, sed diversus, major aut minor, pro ratione materiæ & causarum, quibus fovetur & alitur, prout id copiosius exposuit, nunquam satis laudandus *Nob. Dom. a BERGER in Comment. de Therms Carolin. Cap. VI. p. 70. sequ.* Unde etiam non ubique locorum terræ metallicæ inveniuntur, licet vel metalla in fodinis illis eruantur, vel venis etiam metallicis immaturis superbiant, econtra vero eruantur in hujusmodi locis, in quibus nulla metalla inveniuntur.

§. XLV.

Vanus igitur non immerito est *AGRICOLA l. c.* dum statuit, superfusum imbrem, telluris meatus & venas subientem, qui saxorum vel lapidum ramenta vehit, quæ certis in locis colliguntur & benigno calore digeruntur, ac tandem cum humor superfluus vel frigore expressus, vel calore absumptus, terra remanet. Hac enim sententia, uti naturæ legibus ordinatis contrarius est, quippe quæ id quidem admittant, halitus subterraneas calidos, e sinu terræ superiora versus efferri, atque acrimonia sua ac calore id præstare, ut omnino venæ metallicæ maturæ & immaturæ in substantiam terream fatiscant, negant vero imbres tantæ esse efficaciam in superficie terræ potissimum collectos, quippe licet eorum humiditas terræ poris sese insinuet, nullo modo vero tam longam profunditatem permeare possunt. Unde stante hoc hypothesisi, sequeretur, unice in superficie terræ has terras inveniri debere, quod tamen quotidiana refellit experientia, quippe cum constet, & in profundissimis fodinis easdem inveniri. Sic quoque id evincit, quod admissa laudati viri sententia, illud legitimo deducto consecutario sequeretur, quod in omni terræ vilissimo angulo hæc reperiri deberent, ubi observatur; at cum hoc haud experimur, merito quoque vanam hanc opinionem esse judicare licet. Neque illi certius quid statuunt, qui asserunt una cum saxis & rupibus in ipsa rerum creatione

tione terras nostras productas fuisse. Verum uti illud nemo pro certo asserere sic quoque nec negare potest, quippe cum in opere creationis, nullus fuerit CREATORIS maximi secretarius. Illud autem, cum nec negare nec affirmare intendo, credo mihi quoque concedent, hujus sententiæ patroni & asseclæ, quod in quibusdam locis, ubi ante nunquam inveniebantur terræ metallicæ, ac in quibus venæ metallicæ maturæ & immaturæ sese offerebant, ex his productas fuisse terras metallicas, nimirum uti superius expositum est, dum per halitus subterraneos ita corrodabantur venæ, ut omni omnino metallo defraudarentur, ac unice in massam terream faciscere cogantur. Hoc uti experientia confirmat, sic quoque luculentissime apparet, & hodie naturam producere terras metallicas; unde præstat has causas secundas eruere, quam incognitas creationis scrutare. Multo autem minus illi rem acu tetigerunt, qui vel ex elementis & principiis Chymicorum, in propriis matricibus gigni terras existimant, quippe cum de his maxime adhuc disputatur, ita, ut ipsi patroni principiorum haud certi sint, num revera ea pro veris haberi possint principiiis; adeoque ex merito, tanquam hypothesin sapiens sententia, a sanioribus rejicitur.

§. LXVI.

Atque hæc cum copiose fuseque satis sint explicata, illud adhuc addendum & disquisitioni præsentī accommodum esse existimo, videlicet: unde puritas ac bonitas terrarum metallicarum originem suam habeat? Communiter autem illæ terræ metallicæ, ac potissimum stricte sic dictæ medicinales, bonæ & puræ esse creduntur quæ non sunt arenosæ, sed vim adstrictoriam manifeste exerunt, prout id etiam animadverit *PETRVS POMETVS in aufrichtigen Materialisten und Specerey-Zändler Part. III. Lib. V. Cap. II. p. m. 840.* quibus notis characteristicis, bonitatis & puritatis testibus, adderem quoque unguinositatem earum, quæ tactu explorari potest, quam etiam *laudatum auctorem, l. c. Cap. III. p. m. 842.* verbis *sansst oder linde anzufühlen seyn*, indigitare exprimerem; existimo; Quam itaque puritatem a locis ipsis habere videntur, quo enim puriora sunt loca angustioribus-

ribusque prædita sunt poris, eæ etiam concipiendis purioribus venis metalliferis magis videntur esse idonea. His igitur purioribus existentibus, necesse est, ut & ipsæ terræ ex his ortæ, puritate maxime sese commendent; multum quoque contribuit ad earum puritatem, halitus subterraneus purus, quippe cum & ab eodem portiones quædam terris metallicis relinquuntur. Atque hanc puritatem consequitur & bonitas earundem, quippe cum id omnia a præiudicio liber, facile concedit, quod quo puriores existant terræ metallicæ, eo etiam meliores in praxi Medica, quoad efficaciam, sese exhibeant; Hinc si puras habere Medici clinici possunt terras, supersedent laboriosis earundem præparationibus, & crude pulverisatas in usus suos easdem assumunt. Bonitas quoque prædictarum terrarum etiam apparet ex earum unguinositate, quam potissimum halitibus subterraneis debent, prout superius demonstratum est. Nec minus levitas terrarum bonitatis argumentum præbere potest, quippe quæ præsupponit, terras a partibus arenosis esse liberas. Ex dictis itaque apparet, terras metallicas Tockayenses inter hæcenus cognitæ optimas esse, nec unquam aliis, etiam exterorum, in bonitate cedere, quippe cum illæ, omnes notas characteristicas optimarum terrarum omnibus exponunt, id quod potissimum de terra medicinali rubra & alba, intelligendam esse volo, quia reliquæ his notis characteristicis non undiquaque respondent, ac ultimo descripta, non tam ad terras medicinales, quam rubricas, opificibus usuatas, refertur.

§. XLVII.

Illud igitur ex hæcenus expositis jam etiam constabit, quid de earundem usu Medico, sentiendum sit. Cum autem hæcenus Medici & Chymici quidam, usus terrarum Medicinalium Tockayensium exposuerint, hisque efficaciam adscripserint, in depellendis etiam morbis maximis, specificam quasi, videndum jam in sequentibus erit, num horum promissiones satis firmæ sint, ita, ut practici his fidem, jure observationum verarum, adhibere possint. Illud autem notari sub initium debet, quod hæc terræ medicinales Tockayenses, a laudandis suo loco  
 autho-

authoribus, non modo in pulvere solæ, sed & in forma tincturæ, quæ solaris illis audit, atque cum admixtione aliorum remediorum, in curatione morborum exhibebantur, optimo & laudatissimo ex mente observatorum laudandorum, cum effectu. Equidem non ignarus sum, aliquos Medicorum, ex vero effectus terrarum præfatarum, quos in corpore animali morbofo præstant, & prout eosdem observarunt, descripsisse, sed plerosque, uti superius monitum est, ex Physicis & Medicis unice rursus bona fide, in scripta sua physica retulisse, aliorum relata non observando, num effectus etiam in experientia fundamentum habeat; imo, si plus dicere debeam, nec cognitionem sensualem harum terrarum quosdam ex illis habuisse, neque unquam, uti ex scriptis eorum apparet, vidisse eas existimo; unde admodum mirari debet, quomodo hi, qui neque unquam terras laudatas viderunt, de effectu earum aliquid certi posteritati literis consignare poterant. Profecto majore adhuc jure de his dici potest, quod de Medicis praxin exercentibus sine præmissa cognitione materiæ Medicæ, *Cl. ADAMVS BRENDÉLIVS* in *Diss. de Rorella Præf. p. 4.* sensit, qui eosdem pari passu ambulare existimavit, cum famoso illo Don Quixot à la Manche, qui multa aliis de dulcinea sua narrare poterat, nec ipsam tamen unquam viderat. Atque sic plerumque fit in arte salutari nostra, ubi videas scriptores, inclarescendi libidine ductos, non respicere ad rei describendæ, vel potius aliunde corradendæ dicerem certitudinem, unice illuc intentionis suæ scopum dirigunt, quo etiam se heroes in orbem literario sifterent, nec plane ignavos aut inscios rerum esse demonstrent, de cætero haud sunt solliciti, qua autoritate certitudineque res proferant, contenti eodem, quod hic vel ille hæc inseruerit, quamvis ab iis, alia longe intentione sæpissime sint prolata. Atque hunc perversum modernorum hominum morem, uti belle depingit, sic quoque sine injuria perstringit *MICH. SENDIVOGIVS* *Traç. de sulphure* demonstratque tentaminum illorum vanitatem, inquit: *Et certe nisi Medicus talis sit, ut sciat cur hæc herba talis, cur in hoc gradu calida, cur sicca, cur humida sit, non ex libris Galeni aut Avicenna, sed ex fonte nature, unde illi ista habuerunt.*

buerunt, fundamentalis Medicus esse non potest. *Ista omnia diligenter illi considerarunt, & scripta sua successoribus relinquerunt, ut homines ad altiora studia allicerent. Sed homines hujus seculi, scripta illorum jam pro finali fundamento habent, & ulterius non querunt, sufficit illis, quod sciant dicere, sic Aristoteles, sic Galenus scripserunt.* Prout itaque haud sufficit, observationis aut assertionis alicujus adductio, vel si mavis corrasio, sine praemissa inquisitione de certitudine ejusdem, sic quoque haud est magnus & tædiosus labor, multo minus aliquam utilitatem lectori appromittit, sic ipse de certitudine author, a se prolatorum nihil certi statuere potest. Habeo hac in parte consentientem *B. AVG. QVIR. RIVINVM in Introduct. Gen. ad Rem Herbariam p. 1.* quippe qui levi & nullo artificio, e novem libris decimum exscribi posse, eumque vastissimum, ingenue statuit. Ex dictis itaque patet, inutilem & vanum admodum esse prætextum eruditionis undique corrasum emendicatumve, nec aliud testatur, quam scriptoris arrogantiam, dum magis speciosa quam utilia blaterat scriptitatque. Ex hoc etiam scripitionis damnandæ fundamento, quoque illud resultat, quod maxime praxin Medicam exponentibus in usu ac familiare est, dum contra unicum morbum, plurima proponunt remedia, nec unicum quidem omittunt, quod hæctenus quis Medicorum propofuerunt in suis scriptis, haud consideratis circumstantiis, quibus notis primi authores opposuerant, nec adeo solícite inquirentibus, num revera id præstare possint, cujus causa adducuntur; quam quidem morem belle atro notavit carbone *Celeb. JOH. BOHNIVS, in Diss. de Prophylaxi Pestis dubia, §. V. p. 6. sequi* inquiens: *Decem ni plura remedia contra unius morbi insultum, ubi de materia Medica agitur, recensentur ac deprædicantur, dum nihilominus neutrum, nedum unicum. horum experientia fida comprobatur. Quales garrulitatis intuitu commentatores ejusmodi, non absimiles sunt Agyrtis jactatoribus, licet in eo ab his recedere videantur illi, quod ex pluribus unum, hi ex unico plura promittant præsidia, utriusque tamen per levitatem frivolam decipiant, & penes prudentiores fidem quam querunt perdunt. Neque ignotum cuiquam esse potest, damnandum præcipue Medicorum Chymicorum morem, in tantum*

tum nostro præsertim ac prædecessorum nostrorum ævo, invaluisse, ut speciosis ac pomposis elogiis, arcana sua vel potius minutias suas medica dicam, exciperent, quibus potissimum magnatum ac plebis etiam ipsius, mentes fascinare valerent, quo eadem avide & pretio satis magno ab authoribus suis Agyrtarum morem sectantibus, acciperent. Hinc etiam factum, quod & terra nostra Tockayensis, perverso eorum judicio solaris, arcana medicamenta præparandi, ansam dederit. Cum enim traditio Chymicorum altas egerit in multorum animis radices, quod antimonium & vitriolum illud optimum sit, quod post ortum solis crevit, prout id pluribus ostendit *Illustr. GEORG. ERNESTVS STAHLIUS in Diss. de Vitrioli Elogiis Chymico-Medicis æstimandis §. IIX. p. 8.* facile fieri potuit, quod & terra metallica Tockayensis pro optima illis habebatur, unde etiam factum, quod solaris titulo insigniebatur, videlicet, quod & hæc secundum eorundem mentem, post ortum solis crescat, adeoque eodem elogio dignam esse, quo præ aliorum locorum venit & antimonium & vitriolum: Ex hoc itaque fundamento, cum laudata terra Tockayensis solaris dicitur, aliter fieri etiam haud poterat, quin non ansam præberet, uti superius traditum est, arcana medicamenta aurea elaborandi ac conficiendi, aurariis Medicis, prout id factum ex antimonio & vitriolo hæctenus est; quæ denique arcana cum ipsa etiam terra Tockayensi, multis & magnis pomposis speciosisque ornata sunt encomiis, atque si non ad omnes affectus præter naturales œconomix animalis, tamen plerosque eosque maximos, quos alia medicamenta pharmaceutica debellare haud valent, depellendos arroganter satis, si non frivole commendarunt. Atque hunc quidem morem, uti sufficienter & ex vero notat *laudatus modo STAHLIUS l. c. in Præf. p. 2. sequ.* sic quoque opere pretium faciendum esse existimo, si & præsentis in disquisitione illud inquiretur accuratius, quid arcana illa ex terra Tockayensi parata virium possideant, ac qualem ipsa terra ex auri somniati miscela, effectum in morbis ipsis debellandis præstet? præcipue cum indies Medici clinici experiantur, horum effectus haud respondere speciose satis promissis, ut tandem

Medici practici scire possint, quid de terra nostra sperandum sit, quemque usum in constitutione praternaturali œconomix animalis præstet, atque sic in usus suos tutius convertere, ferente casu, possint.

§. XLIIIX.

Atque hoc, ubi jam investigare intendo, non utor verborum copia, nec e longinquo petitis argumentis, sed rationibus indubitatis, quas experientia, fidelissima magistra rerum, confirmat, conficiam recte inquit *Cl. GEORG. EMMERICHIVS, in Diss. de Ratione & Eperientia Medica §. II. Præcipuum etiam est, quod in Medico requiritur, ut quæcunque accurate scire & efficere desiderat, non Philosophia solum seu prudenti ratiocinatione investiget, sed & experientia suffultus rem aggrediatur, perpendendo, num eventus concepitibus suis ac rationibus ante inventis collectis que conformis respondeat, ne frustra laboret, & rationes mere logicas cumulatas habeat, i. e. tales que sine utilitate sine optato eventn aliquid veni a vera distantis praxi, concludunt.* Sepositis itaque seponendis, etiam ab ipsis C. L. præjudiciis jam dicendum est, quid sentiendum sit, de effectu terræ nostræ Tockayensis, ex eaque paratis arcanis Chymicis, hæctenus ab authoribus Physicis, Medicis & Chymicis, laudatis. Prodeat autem omnium primo loco *laudatus ille superior, trium Imperatorum Archiater CRATO, qui l. c. p. 532. sic de efficacia terrarum nostrarum in curatione & præservatione febris pestilentis sentiens, dum inquit: Multi in locis maxime in Hungaria ad Tockavium bolus effoditur colore rufo, quali & bolus ille verus describitur. Eo magno cum successu usus sum sæpe, & plus profuisse observavi, quam terram sigillatam, que fere quotannis dissimilis ebullit, & aliter præparatur.* Ex quibus laudati Medici verbis, id quidem patet, eundem meliori cum successu, in usum duxisse, in præservatione ac curatione febrium pestilentialium, ac ipsius etiam pestis, bolum sive terram Tockayensem, quam ubi alias terras sigillatas aut ipsum etiam bolum orientalem agris suis propinaverat. Verum ut ex his optimi Medici verbis, aliquis id eliceret atque statueret, cum *Cl. SIEGESBECKIO l. c. p. 537. prædictam terram medicinalem Tockayensem esse specificum antiloi-*  
micum

micum & analepticum, ob sulphur solare huic admixtum & impactum rationem haud video. Certum quidem est *CRATONEM* haud contemnendum effectum hujus terræ Tockayensis adversus pestilentiae dirissimam luem, laudare, nihilominus tamen illud affirmare haud audet, quod *SIEGESBECKIVS* nulla suffultus experientia, audacter satis ac frivole statuit, quod eadem specificam possideat vim, contra jam adductam pestilentiae luem, uti id ex *Part. II. p. m. 562.* adductis verbis patet, dum ait: *Adfunt interdum & alia symptomata (quæ omnia commemorari non possunt) prout seminaria malignitatem & proprietatem certam in se habent, cui tantum antidotis occurritur. In aliquibus theriaca & mithridatium sufficiunt, in mitioribus etiam terra sigillata, bolus & similia. Quæ omnia convenit observare Medicum, et si vera antidotus soli DEO nota est, nec omnibus eadem præscribenda sunt.* Illud itaque ex adductis verbis patet, terras medicatas aliquando prodesse, ubi mitioribus afflicti vexantur symptomatibus, & quidem non virtute specifica antiloimica & analeptica, sed potius vi sudorifera & alterante, ut alia diaphoretica & alterantia temperatiora, quippe cum specificum tale medicamentum nullus hucdum hominum propalavit, si laudatum *SIEGESBECKIVM* & cerebrinos sui æquales hypotheticos practicos & Chymicos excipias. Neque unquam præsumere quis posset, *CRATONEM* terram Tockayensem, propterea in usum adversus luem pestiferam duxisse, tanquam specificè adversus eandem pugnaret, quin potius quivis ultro fatebitur, eundem ansam accepisse, terram Tockayensem in usum Medicum sumendi, quod antiquitus bolus orientalis ac terræ sigillatæ Turcicæ & aliæ, lux pestilentiali tanquam antidotus opponerentur, non alia de causa, quam quod crederetur, easdem terras venenis omnino resistere, prout paulo inferius fusius exponetur; Id quod vel ex solo *GALENO* facile quivis videre poterit, dum *Lib. IX. de simpl. Medicament. Facult. Cap. VI.* ait: *In magna hac peste, cujus eadem hæc facies fuit, quæ Thucididis memoria grassabatur, quotquot bolum armenicæ sumpserunt celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiit.* Cum itaque *CRA-*  
*TO* bolum sive terram Tockayensem in curatione & præservatio-

ne pestis

ne pestis profuisse adnotat, illud non ita universaliter accipi debet, quin potius id credo, existimasse laudatum celeberrimum Medicum, quod prout & alia medicamenta simplicia vel composita, sic & præfata terra Tockayensis, quibusdam profuit, prout inferius fufius adferuetur.

§. XLIX.

Non autem primus existit, qui statueret terram nostram specifica virtute antiloimica & analeptica præditam esse, hancque efficaciam exerere ob sulphur solare his terris admixtum & impactum *Cl. SIEGESBECKIVS*, sed longe ante hunc Paracelsitæ, ut *CRATO l. c. p. m. 533.* refert, in præfervatione pestis margam quandam Silesiacam, quam axungiam solis vocarunt, commendarunt, non aliam quoque ob causam, quam quod crederent, eandem ob sulphur solare admixtum, venenis omnino resistere debere. Prout autem jam tunc *CRATO*, de eodem effectu dubitaverat, imo experientiam demum confirmaturam esse asseruit, num eadem in curatione ipsa pestis, aliquid auxilii collatura sit? ac admonuit ingenue Medicos clinicos, ne ante adhibitum examen experimentale illico confidant circumforaneis illis chartaceis commendationibus, hinc & nostro hoc ævo, optimo jure, assertionem *Cl. SIEGESBECKII* non tam in dubium quilibet a præjudicio liber vocare, quam revera eandem falsam esse, asserere statueretque potuit, præcipue cum facile animadvertat, prolata ejusdem, non tantum ostentationem, quibusdam Chymicis propriam, sapere, sed nec aliud habere fundamentum, quam falsam hypothesin a nemine sana mente prædito comprobata; imo quod majus est, nec ullum refugium in experientia habere possunt, quin potius huic contraria existunt, nec naturæ ac methodicæ curationis pestis respondent. Quæ licet verissima sunt, nec ulla indigent comprobatione, attamen in gratiam *Cl. Viri*, ne videtur unice nudis verbis instimulari, dicta jam ulterius confirmare perplacet. Assertio autem ejusdem illuc vergit, quod terræ nostræ Tockayenses sint solaris naturæ, adeoque ob sulphur solare illis impactum, efficaciam possidere specificam antiloimicam & analepticam, eamque etiam ob causam hunc effectum exerere

exerere, quod cum Archæo corporis animalis citissime & optime uniatur, & hinc secundum datam ipsis a DEO efficaciam specificam, eam quoque exerit, prout videre licet *l. c. p. 535. sequ.* In his itaque verbis nemo credo, a præjudicio liber rerum existimator non videbit, quod omnino vera sint, quæ paulo ante de *Cl. Viri* prolatis, dicta sunt. Petitio enim est principii terras nostras Tockayenses esse solares, uti id ex §. XXXIIX. demonstratis, clarum evadit; imo quod majus est, ne ipsæ quidem tincturæ falsæ sic dictæ solares, argumentum aliquod producant, illis omnino aliquid inesse auri embryonalis multo minus puri. Profecto qui id affirmare vellet, adhuc cachino dignior existeret, quam qui in ipso vitrioli corpore, tale quid in vestigaret, atque existentiam ejusdem audacter assereret. Unde optimo jure horum conatus ridet, *Illustr. STAHLIVS l. c. §. IIX. p. 8.* inquiens: *Tractabiliores tamen in eo, ut si sincerum aurum, quod rude, & vel rusticis agnoscendum, sentiri possit, non compareat, saltem embryonale credi possit subesse, nempe Philosophicum feminale, imo spirituale. Difficultas est, quod hoc non tam promte, ut Pallas e Jovis cerebro, in lucem edatur: sed in Philosophorum talium cerebro communiter immersum reslitet: & totum negotium nusquam κατὰ θεῶν votis respondeat: sed solum κατὰ ἀνθρώπων; dum nempe, quando phantasis illorum eventus ille magnificus, e quocunque tandem vitriolo, non respondet. Decreto illud damnent, tanquam auri talis embryonalis indigum, imo illo vacuum.* Quod si itaque per superius demonstrata, ne micula auri ex præfatis nostris terris elici possit, multo minus existimandum erit, tincturas ex his extractas, aliquid de auro participare. Jam illa recoquere nolo, quæ *Cl. DEGNERVS* huic sententiæ ex instituto opposuerat, *l. c. Mens. Novembr. Class. IV. Artic. X. p. 566. sq.* quippe quæ sua radiant luce, argumentaque in dubia sistant, quæ assertionem *Cl. SIEGESBECKII* potentissime infringunt, ita ut satis laboris habiturus, imo inania tentaturus sit, qui his aliquid regerere attentaret tantum; adeoque lubens eo magis *doctissimo* assentior *DEGNERO*, præcipue, cum & videam, principes Chymicos ejusdem esse sententiæ, quippe qui unanimi consensu, incassum illos laborare existimant, qui spreto corpore auri, ejus animam

nimam vel sulphur vel spiritum extrahere fatagunt, audiamus hac de re *Celeb. BECHERVM* *supl. II. in Phys. subterr. Thes. Chym. 3.* sic inquentem: *Qui nescio quam essentiam seu animam ex auro somniant, quam formam auri statuunt, hi nesciunt, quid vel dicant, vel laborent, neque ejusmodi animam unquam producere & monstrare poterunt, decepti solventibus, aurum dealbantibus, sine suapte citrinatis.* Qui plura habere vult adeat *Celeb. FRID. HOFFMANNI. Obs. Phys. Chym. Select. Lib. III. Obs. XXI. p. 370. sequ.* atque *AVG. QVIRIN. RIVINI Manuuct. ad Chymiam Cap. VIII. §. 7. p. 49.* Quod cum celeberrimi quique Chymici confiteantur, fautores vero sententiæ allatæ adeo inconstantes sunt, in liquoribus adhibendis & modo extrahendi tincturas solares, quid aliud confectur, quam quod talis labor, nihil aliud sit, quam non entis productio. Ecquidem nemini ignotum esse poterit, quantos non processus laborantium industria, circa extrahendas solares tincturas, peperit, ita, ut aliquot volumina, si colligerentur, constituerent, attamen si eosdem examinaveris, nihil aliud extrahi posse ex auro per menstrua adhibita, quam id quod non intendebatur deprehendes. Nihil enim aliud sunt hujusmodi tincturæ solares, quam menstrua tincta, uti id etiam optime judicavit, de auro potabili Chymici cujusdam peregrini, cujus descriptionem *DN. HOMBERGIUS*, Academiae Regiæ scientiarum Parisiensis exposuit, *J. B. du HAMEL l. c. Lib. IV. Sect. VI. Cap. IV. Artic. II. p. m. 370.* quod color ille rubeus, non tam ab auro quam a spiritu acido profectus sit. At reget forte quis, cum *Cl. SIEGÉSBECKIO l. c. p. 538.* quod tincturæ solares parari debeant absque corrosivis menstruis: Verum enim vero, licet hoc plurimi in actum deducere voluerint cum vino, ac in specie ejusdem oleo rectificato, attamen ipsi incerti admodum manserunt, num revera tale quæsitum investigaverint ac possiderint. Unde si alio modo procedendum est, illud conscientiose propalari in auxilium tot miserorum morbidorum debuisset, si alias censuram severam *ISOCRATIS in Orat. contra sophist.* evadere effugereque voluit, qui sic inquit: *Non magnas reddunt artes, qui jactantiæ circa illas indulgent, sed illi potius, qui si quid in illis verum est,*  
*illud*

*Illud invocare & ostendere valent.* Unde etiam vel hoc in passu, censuram *Cl. DEGENERI* iuste subiit, conamine suo irrito & ostentatorio *SIEGESBECKIVS*, quippe quem audacter satis si non frivole asseruisse legimus, terras medicatas Tockayenses plus sulphuris solaris exhibere, quam ipsum solidissimum auri corpus, adeoque copiosissimam ex illis haberi ac extrahi posse tincturam, solari titulo insigniendam, ob sulphur solare quod in iisdem copiose continetur, attamen modum extrahendi tanquam arcanum, nec indignis, nisi maximo pretio, ut aliqui volunt, propalandum, haud revelare voluit. Recordari enim debuisset, quantum in conscientia obligatus sit Medicus, talenta a DEO concredita, in proximi utilitatem maximam redundantia, propalare. Hæc autem non erant ipsi præ oculis, hinc maluit cum sui æqualibus arcana unice crepantibus, sibi conservare, ad quorum tamen propalationem propria conscientia & amor proximi eum impellere debuisset. Unde etiam, cum a more sui æqualium haud recedat, sibi unice adscribere debet, quod si quis mecum statuerit, ipsum non ens, pro sulphure solari, ex massa terrestri Tockayensi extrahere, idque pro vera auri tinctura, deceptorum more, venditare, *Conf. FRID. HOFFMANNVM l. c.* Tamdiu itaque nullus tenebitur fidem adhibere, audacter promissis *Cl. Viri* quamdiu processum non propalaverit. *Exspectandum itaque est, loquor cum Illustri STAHLIO l. c. §. IX. p. 9. dum aliquis tanti artificii possessor ex illo paratam potius profiteatur, quam parandam polliceatur.*

§. L.

Non autem sum is, qui, ut ex prædictis facile colligi posset, omnino omnes tincturas solares ut non entia rejicerem, eorumque usum vanum atque deceptorium esse, uti inferius pluribus demonstrabitur, statuerem, quin potius id lubentissime confiteor, non impossibilem adeo esse modum, verum aurum potabile parandi, quam quidem hactenus a multis creditum est, si vere procedatur, atque auri corpus solidissimum in fluidum aliquod simile argento vivo, absque menstruis, debite & legitime reducatur. Quem quidem modum multi ut impossibilem

pronunciabunt, quos tamen obnixè peto, ut aliquanto penitius considerarent tritus continuati effectus in corpore auri fixissimo, quodque nec igni, potentissimo alias universi tyranno, nec aliis solventibus summæ activitatis cedit, & illico observabunt, hujus longe majorem esse vim illud in substantiam liquidam, bibendique aptam, convertendi. Ex observationibus enim *Celeb. JOEL LANGELOTTI in Epist. ad Nat. Curios. & Præf. ad Experimenta Tismania circa veras auri solutiones.* constat aurum trituratione aliquod dierum aut mensis, in pulverem fuscum, tandemque nigrum ac sulphur redolentem subigi; Atque hoc etiam propria confirmat experientia *Celeb. J. BOHNIUS Diff. Chym. Phys. VII. §. 19. p. m. 200.* inquit: *Possum his adjicere parem experientiam, qua constat, aurum longiore ac continua trituratione, in pulverem ex fusco nigricantem redigi.* Neque latuit hæc encheirisis solvendi aurum antiquitatem venerandam, uti refert *OLAVS BORRICHIVS de Hermet. Ægypt. Lib. II. Cap. II.* Non autem existimo, quod ex pulvere auri per retortam elicatur liquor rubicundus aut menstruis appropriatis extracta ejusdem coloris tinctura, secundum processum *LANGELOTTI*, aut certo menstruo ab eodem pulvere auri concessa tinctura sanguinea, ex eoque cum spiritu vini retificatissimo extrahenda, uti experientia *BOHNI* exhibet, pro vera auri tinctura sive auro potabili haberi possit, quippe cum similes tincturæ, nihil plus merentur præ aliorum superius censuratorum; atque hoc eo magis affirmare audeo, quo certior sum prælaudatos authores, easdem non pro veris auri tincturis vendidisse, multo minus habuisse, prout vel ex sequentibus *Cel. BOHNII l. c. Diff. XIV. §. 33. p. m. 412.* luce meridiana clarius patebit. *Siquidem quoad tincturam auri, ut ut metalli hujus plexus & textura externa variis modis, v. g. per menstrua, item tritum, ita disturbari possit, ut in insensibiles particulas redigatur, quia nihilominus, ejus compages adeo firma est, & sulphur auri juxta A. Salam de sept. Planet. Terr. reliquis ejus partibus ita alligatum & inseparabiliter unitum, ut sine illius reliqua substantia a menstruo nullo imbibi valeat, bins quicquid auro deraditur integri hujus mixti formam retinet: solutionis potius, quam tincturæ nomen merentur nobis hæcenus obrusa*  
*hæc*

hoc titulo medicamina; quod de sua quoque auri trituratione ac destillatione innuere videtur Langelot, dum hujus residuum pondere equidem imminutum, in corpus tamen auri verum beneficio borracis deliquari posse, fatetur. Verum enim vero illud quivis æquus rerum Chymicarum existimator mecum ultro fatebitur, prout jam superius paucis monitum est, quod verum aurum potabile non cum menstruis, sed sola trituratione effici debeat. Modum itaque elaborandi tale ostendit, quamvis ingenue fateatur se eundem magis exercitationis gratia descripsisse, qua vero tanquam hujus auri potabilis esset verus possessor, *Illustr. J. G. Nob. Dom. a BERGER in Diss. de Auro potabili § XXV. p. 47.* Perplacet eundem verbis celeberrimi authoris huc adponere, eo magis quo certius sciam, laudatam dissectionem non in omnium esse manibus, sic autem scribit: *Hoc itaque motu, triturationis, recte continuato, & aptis adjuto clavibus, existimarim, partes auri compactas valde firmiter coherentes nexu, ita extenuari ac dividi comminuique posse, ut eas interfluens subtilis aetherea materia in motu & recessu a se invicem singulas conservet, eoque aurum solidum in corpus fluidum & liquorem abeat, manus non madefacientem & ponderosum, qui deinde porro idoneo junctus vehiculo, commode ore capi, atque ad sanguinem deferri, & pares suo ponderi, quas supra diximus, vires edere possit.* Hoc modo paratum aurum potabile, ex ipsius auri fixissimo corpore, si quis possideat, magnum omnino thesaurum possidere existimo, cum id suis haud destituatur viribus, iisque maximis longaque præferendis, quibus pollere falso existimantur, per menstrua varia extractæ tincturæ solares. Cum autem tales liquores solares manus haud mundefacientes non nisi ex ipsius auri corpore haberi possint, hinc viderit *Cl. SIEGESBECKIVS*, quomodo tincturæ suæ solari ex terris medicinalibus Tokayensibus, ac arena solari extractæ, prospiciet, quo illa titulum solarem retinere queat? quippe cum nulla arte, nulla vi, nulla etiam triturationis motu licet violentissimo & diuturno eoque continuo, ex his talis liquor sive aurum potabile elici potest. Per menstrua autem quæcunque elicita tinctura solaris, prout etiam suam similiter extrahi debere refert *Cl. SIEGESBECKIVS* deludunt possessores & agros decipiunt.

cupiunt, quippe cum similes tincturæ, auri corpore intacto, a menstruis solis cum particulis elementorum similiumque additamentorum exaltatis emergant, prout id variis evincit *BOHNIVS* l. c. pag. 413. argumentis, videlicet, quod color intrinsecus auri, cujus generis sit, hæctenus adhuc existat incognitum, uti id comprobatur viridis illa auri tinctura, quam extraxit *BORICHIVS*, ipse vero etiam talem se vidisse apud *POLEMANNVM* recordatur. Porro, quod residuo ab extractione per fusionem cum antimonio similique concreto, pristinus nitor, & tenacitas facile restituitur. Unde id nunc officii remanebit *Cl. SIEGESBECKIO*, & tincturæ aureæ suæ certitudinem prospicere voluerit, ut orbi literato exponat processum eandem elaborandi & conficiendi infucatum, sic enim facile apparebit, jure ne, an injuria non tantum a *Cl. DEGENERO*, sed & abs me sit impetitus, simulque quam plurimos alias somno incredulitatis affectos ex eodem excitabit, sicque ansam præbebit acuratus & de auri corpore philosophandi. Ecquidem excipere potest *Cl. SIEGESBECKIVS* ad extractionem tincturæ solaris non sufficere vulgaria menstrua, sed requiri insipidum idque subtilissimum, quod poros & intimum nexum pervadere possit; sed huic exceptione, summo cum applausu satisfecit laudatus *HOFFMANNVS* l. c. p. 372. sequ. ita ut plane pro nulla reputari debeat.

§. LI.

Atque hæc prolata uti satis evincunt ac ostendunt, quid de tincturis auri live auro potabili hæctenus propalato sentiendum sit? sic quoque facile quivis a præjudicio liber judicare potest, num effectus quoque largiter & audacter promissus firmo stare talo possit? Difficile enim haud est judicatu, præsertim si sano animo quis accedat, atque prolata hæctenus æqua animi lance perpendat, quid tenendum sit de effectu non tantum tincturæ solaris, ex terris medicinalibus Tockayensibus extractis, debita encheirisi, sed & ipsarum terrarum laudatarum, quippe cum is non enti superstruatur, hinc quoque & effectus is, qui assignabatur, atque largiter appromittebatur, haud subsistere potest, vi canonis, qualis causa talis quoque effectus; jam a non ente  
aliquid

aliquid exspectare, quis unquam tam vesanus existeret, & tale quid cogitaret. Atque hoc jam luculentius apparebit, dum paulo accuratius mentem *Cl. SIEGESBECKII* introspeciemus. Dicit enim is, terras medicatas Tockayenses virtutes suas habere a solaris ejus natura. Verum hoc prius demonstrare debuisset, antequam tam absurde de virtute earum antiloimica & analeptica commentaretur. Jam supra §. XXXV. & XXXIIX. fuisse satis demonstratum est, præfatas terras ne miculam auri in sinu suo fovere, multo minus, vel tantillum ex illis elici posse, hinc consequitur legitimo & debito confectario, quod, quia terræ laudatæ auro destituuntur, effectus vero quas præstare deberent, ab auro vel hujus sulphure deducitur, hinc sequatur necesse est, quia aurum in terris Tockayensibus non deprehenditur, eas nec effectum adscriptum exerere posse. Idem esto judicium de tincturæ solaris ex his paratæ effectû; vi §. XLIX. & L. dictorum. Quæ dicta licet sole meridiano clarius luceant, nec ulla indigeant speciali confirmatione, attamen cum *Cl. SIEGESBECKIVS* particulares quoque recenset effectus, a specifica terrarum virtute promanantes, lubet quoque ad hos examinandos transire.

## §. XLII.

Inter effectus autem, quos præstat terra Tockayensis medicinalis, maxime laudatur a *Cl. SIEGESBECKIO*, virtus ejusdem specifica antiloimica & analeptia. Quid antiloimica medicamenta sunt omnibus constat, adeoque ne lubet eorum descriptionem tradere. At quid specifica sint, ob dissentientes auctores Medicos, paucis dicendum venit. Eadem esse remedia, quæ tempestive data, certis quibusdam morbis vel illico tollendis, vel successive, aut radicitus extirpandis, aut insigniter enervandis ac mitigandis, sufficiunt, vid. *FR. HOFFMANNVS in Med. Rat. Systemat. Tom. III. Sect. II. Cap. VIII. §. 2. p. 577.* Horum requisita ponit *Celeb. HEINR. HEINRICI, in Diss. de Ufu Cort. China febrifugo, cauto ac suspecto. §. VII. sequ. p. 10. sequ.* ut sint (1.) non omnibus morbis data, (2.) ut juvent & sublevent morbum cito, tuto & constanter, (3.) non alterando nec evacuando, (4.) sed sedando motus, minime vero (5.) contrarias inducendo. Ut nihil dicam

amplius de eo, quod dissentiant authores medici ad invicem, ubi alii medicamenta specifica adstruunt, alii vero eadem pernegant, cum hanc controversiam satis superq; determinaverit *Illustr. ROBERTVS BOYLE* in *Tract. de Remed. specif. cum corpusculari Philosophia concordia*, & vel ipse Cortex Peruvianus, quicquid Staliami in contrarium statuere satagant, quorum objectionibus *Illustr. Nob. Dom. a BERGER* in *Diss. de Chin China ab iniquis judiciis vindicata*, abunde & pro more suo eleganter satisfacit, utpote qui nulla violenta vi naturæ, non effoetarum qualitatum subsidio, non salis vel sulphuris opera, sed textura sua, atque adeo propria & specifica vi febres intermittentes tollit, dari talia medicamenta proprie sic dicta specifica evincit. Jam si ad applicationem dictorum quis accesserit examinaueritque, num terræ medicinales Tockayenses ac tincturæ solares ex his extractæ, definitioni ac requisitis medicamentorum specificorum subjici possint? profecto deprehendet, eadem hoc encomio ac elogio haud venire posse, cum nec definitioni, nec requisitis undiquaque vel in minimo saltem respondeant. Præter enim quod malo opponantur, quod flagri cælitus a manu DEI in pœnam & cladem populi immissi, nemine merito veniat, cujusque natura atque vis omnem intellectum humanum longe superat; utque adeo insipide is ageret, qui existimaret dari specifica adversus idem malum remedia, quippe cum constet quotidiana observatorum experientia, & pestilentia luem, pro diversitate causarum naturalium diversam, non vero omni tempore æqualem esse, adeoque quod hoc tempore sub certa constitutione tempestatis, causarumque reliquarum producentium prodesse, alio vero tempore, sub alia constitutione causarum incassum, imo cum damno sæpissime adhiberi poterat remedium. Accedit & hoc, quod maximum momentum in curanda peste illuc vergat, quo miasmata sive materiæ malignitas critice per bubones, carbunculos &c. excernatur, uti id copiosius exposuit *Celeb. JOH. KANOLDVS* in *Sendschreiben von der 1708. in Preussen, und 1709. in Danzig grassirten Pestilenz*, passim. It. in *Sendschreiben von der Pest in Marsilien*, *Part. III. §. II. sequ. p. 82. sequ.* Unde necessum est, ut medicamentum

mentum tale specificum adinveniat, quod tale quid efficere specificè aptum natum sit. Jam de tinctura solari & terra medicinali Tokayensi, quis adhuc existit Medicorum & in specie pestilentiariorum, qui affirmaret, eadem esse illa specifica antilomica, quæ unice certo semper & efficaciter, scopum præfatum exequeretur? Ex relatione *Cl. SIEGESBECKII* id discere non possumus, hinc & ejus promissis fidem servare ac dare haud tenemur, illique adeo incumbit, prolata sua specialiori & assidua diligentia facta experientia comprobare atque confirmare; alias enim, si id non præstiterit, haud ipsi credetur, quod laudata medicamenta semper & constanter huic malo medeantur. Observatio enim adducta, quod eadem tinctura solaris ex terra Tokayensi elaborata, in peste Hallensi 1681 multis profuerit, id non comprobat quod confirmare debebat. Nam licet detur profuisse quibusdam laudatam tincturam solarem in adducta peste, illud tamen negare haud poterunt, quod aliqui, si non plurimi, licet eodem usi fuerint, etiam peste obierint. Jam illud ne est specificum, quod quibusdam saltem medeatur, non vero omnibus æqualiter affectis? profecto qui hoc affirmare vellet, proderet, se revera quid medicamentum specificum sit, ignorare. Quod autem non omnibus cum successu salutari adhibebatur tinctura præfata, ex relatione *Cl. SIEGESBECKII* luculenter apparet; Unde rectè *Cl. DEGNERVS* sequens de ea refert solidum judicium, inquit: Was man von der angeführten Gold-Tinctur und deren Effect zur Zeit der Hällischen Pest anführet, so ist solches schon zur selbigen Zeit in Zweifel gezogen worden, und verdienet nun noch weniger Beyfall; da man doch nach der Zeit die klägliche Pest hin und wieder erleiden müssen: daß also seine unvergleichliche *virtutes antilomicae simulque analepticae*, als ein *Non-ens* zu consideriren bleiben. *l. c. Mens. Novembr. Class. IV. Art. 10. p. 568.* Adeoque & id evenit *Cl. SIEGESBECKIO*, cum suis tincturis solaribus, quod antecessoribus ejus, cum electuariis, pulveribus, trochiscis, balsamis &c. de quibus egregie & belle scribit *Celeb. JOH. BOHNIVS l. c. §. IX. p. 9. seq.* Postquam plusquam evidens, multos infectionis præservatoria eque ac curatoria jactitare arcana, a seculis oriunda

Et comprobata : quos nihilominus cum familiae notabili parte virulentia pestilens sustulit. Et si forsan unus alterve electuario quodam, pulvere, trochiscis, balsamo &c. utens, pestem evaserit, minime tamen liquet, hæc vera & genuina esse prophylactica, seu per illa se fuisse præservatum : cum plures alii superstites raneant manserintque, qui nihil horum aliorumque assumerunt ; multi contra sub eorum usurpatione interierint. Adeo ut probabiliter aut fallaciam non causa ut cause, committant, aut uni tantum vel alteri, hoc illudve prophylacticum vere existisse salutare, innuant, i. e. a particulari ad universale perperam concludant.

### §. LIII.

Atque hæc de virtute antiloimica terrarum medicinalium Tockayensium, dicta sufficiunt, ita ut cuivis jam facile colligere liceat, illos, qui hanc de his jactitant ac specificam audaèter frivoleque esse dicunt, nihil aliud intendere, quam fucum indoctis & doctis, inconscientiose plane facere, seque suavibus insomniis & figmentis ad faciendas fraudes, & lucrum, famamque aucupandam, lactare atque delectare. Hos uti optime atro notat carbone laudatus BOHNIVS l. c. passim & per totam fere auream illam dissertationem sic quoque huic optime assentitur atque subscribit Celeb. FRID. HOFFMANNVS in Diff. de Peste ejusdemque curandi ratione §. XVI. p. 20. inquit : Ex quo intelligi potest, quam lubrico insistant fundamento, qui hoc vel illo auxilio pestem averti posse contendunt. Imo incitix atque insanix illos, qui aliud remedium pro vitanda peste quam fugam commendant ac deprædicant, accusare haud veretur SANCTORIVS a SANCTORIO Med. stat. Sect. I. Aph. 138. Atque hoc non sine injuria facere videntur celeberrimi viri, quippe cum non modo ob causarum pestem producentium diversitatem, lues illa admodum varia existat, sed & ob diversitatem naturarum, quam etiam suo calculo differentem observavit HIPPOCRATES lib. de Flatibus, cum corpus a corpore, naturam a natura & alimentum ab alimento differre, statuit ; unde etiam, prout *idem* optime adnotavit, cum non cuivis animalium generi eadem sunt commoda & incommoda, sed alia aliis conveniunt, hinc etiam & præservatio & curatio pestis

fitis secundum has diversitates metiri debet, prout id fusius expo-  
 suit *laudatus BOHNIVS l. c. §. XV. p. 14. sequ.* Neque enim quis  
 ob id terras medicinales Tokayenses, ex hisque extractam tin-  
 cturam solarem dicet esse specificam antiloimicam, quod sulphu-  
 re solari gaudeat, quippe cum per superius demonstrata satis su-  
 perque constare poterit, quod tale sulphur specificè solare, nihil  
 præ sulphure ordinario habeat, sulphur autem ordinarium hanc  
 vim exerere haud posse, demonstravit luculenter idem *BOHNI-  
 VS l. c. §. XX. sequ. p. 18. sequ.* hinc nec ob id eadem virtute speci-  
 fica uti prætendunt gaudere poterit, quin potius id produnt quod  
 ex inconvenienti deductione, a conditura aliorum corporum ad  
 curationem ac præsertim cum certum atque indubitatum apud omnes Medicos  
 sit, nulla dari vera analeptica, quæ aliquam exererent efficaciam  
 in prostratione virium, si non causis sublatis morbum producen-  
 tibus, ipse morbus tollatur, irrita enim est omnis virium con-  
 servandarum aut adjuvandaram intentio, nisi convenienti me-  
 thodo auxiliisque causæ morbificæ e corpore eliminantur, suffe-  
 ranturque. Quod si ad eam intentionem assequendam, non ficta,  
 sed in experientia confirmata media medica, adhibentur, sic  
 id certo efficitur, quod cum morbo & virium debilitas auferatur,  
 ita, ut aliis auxiliis, pro iisdem restaurandis, haud indigebim-  
 us. Quod cum quotidiana experientia innumeris exemplis  
 Medicos clinicos satis superque edocet, quicquid in contrarium  
 ogganiat *GVIL. MAXVELLVS de Med. Magnet. Lib. II. Cap. V. p.  
 m. 92.* pro impossibili pronuntiando, quod morbus curari possit,  
 nisi debite tam intra quam extra spiritus vitalis fortificetur; hinc  
 haud necessarium esse existimo, ut in hoc puncto specialiter *Cl.  
 SIEGESBECKIO* contradicerem: Adjuvabit autem, cum idem *Cl.  
 Vir* a sulphure solari hunc effectum deducat, huc transcribere  
 verba prolixiora licet, *Illustr. STAHLII in Diss. de Viribus §. XL. p.  
 33. sequ.* quæ exasse falsæ opinioni *laudati viri* satisficient, eam-  
 que refutatam dabunt: Sic autem ait: *Piget propemodum verba  
 facere, de haud multum disparis opinionis remedio, quamvis adhuc  
 majore biatu promissa & præconia de illo vulgo effundantur. Est illud  
 aurum.*

aurum. Videntur certe adhuc paulo antiquiores, quolibet intuitu, non tam simpliciore, quam sinceriore, agendi ratione gavisse esse, quam plerique posteriorum. Cum enim in animum induxissent credere, esse in auro mirificas potestates Medicas, bona fide naturæ committendo negotium, aurum simpliciore mechafismo attenuatum, seu foliola auræ tam pulveribus, quam plane aquis cordialibus intriverunt. Alii vero, nescio an serio, an solum simplicitatem horum videndo, exornare potius scenam aggressi, rem memorabilem executi sunt, duobus respectibus. (1.) enim singuli diversam & propriam, vel insistant, vel insistere videri volunt, viam, qua aurum mirabiliter alii preparare, alii separare, videri volunt interim damnat fere quisque horum; alterius artificium atque præfert suum. Interim (2.) conspirat hucusque constantissime experientia in eo, quod nulli horum artificiorum qui quam amplius attestetur, quam nudam atque simplicem credulitatem vulgæ hominum. Et nescio propemodum, an bono jure credulitas appellari possit, aut nomen hoc usurpari de ejus modi re, quæ tam evidenti præjudicio damnatur. Cum enim nota sit illa circa tales res usurpandas, non dicam insania, dicam cupiditas, ut magna quantitate disfrabantur; adeo, ut non ignota sint exempla, ubi non millies millenis, sed aliquoties millies millies millenis dosibus distributa sunt hujusmodi præparata; & exempla eorum catalogis etiam enumerata communissime de paucorum dosium mirifico effectu loquantur: invictæ veritatis esse deberet, quod a numero ejusmodi computorum artifices fatigature, dosium tallium, si tam dignus præconiis & non contemnendis commerciis e venditione, & sumptibus alterius partis, exemptione, dignus effectus subesset, totus mundus plenus esse deberet admirandorum hujusmodi effectuum. Sed cum de his longe majus sit silentium, quam ulli harum rerum proportionis umbræ respondere possit, relabitur negotium ad antiqui illius, censoris verius, quam ut vulgo accusatur irrisoris Diogenis animadversionem: quando de tabulis votivis a naufragio per paganorum numinum invocationem ereptorum, monuit, si tabulæ, nec quicquam hos sospitatores inclamando, nihilominus mensorum scriptæ forent, omnia, templa talia easdem minime captura esse. Crediderim autem, si pretium pro talibus artificiis, etiam passim insolens non solveretur, (bona tamen omnino fide,) nisi uti revera, non dicam mirifi-

cum illum, sed solum sensilem effectum, præconiis illis aproinquantem edidissent, facile eventurum, ut sacra auri famis, non solum emtores, sed etiam venditores, tadium incessurum esset. Ut taceam, quod virtus analeptica prædictarum terrarum harumque tincturæ, falsa superinstructa fit hypothefi, de mundi majoris cum homine analogia atque cognatione illa, qua astra cum metallis, & utraque cum visceribus quibusdam corporis nostri, qua dicunt aurum, terræ solem, cum corporis nostri corde, talem colere cognationem, ut flammulam cordis ejusve archeum, si DIIS placet, ita irradiat, ut omnino ab omni labe atque putredine liberum semper permaneat. Unde colligunt, ex hoc hypothetico effectu illud summum esse cordiale & analepticum. Verum hæc falsa inniti hypothefi quis non videt? quam inferius refutatam sistam atque exponam.

## §. LIV.

Eadem quoque est ratio asserti *SIEGESBECKIANI*, dum terras laudatas ac in specie harum tincturam solarem adversus febres petechiales & purpureas commendat, eorumque effectum collaudat. Suffultus experientia, qua certus est, Halæ sub constitutione earundem Epidemia, constanter optimum edidisse effectum. Verum hæc uti ex superius dictis infirma esse admodum constat, sic quoque hanc assertionem ex merito optime perstrinxit *Cl. DEGENERVS* l. c. p. 568. cujus etiam verba huc adponere haud inutile esse judico, quippe qui sic inquit: Die Cur der febrrium petechialium und purpurarum, durch dergleichen tincturas solares zu erhalten oder zu befördern, ist ja ein offenbahrer Irrweg, da bekandt ist, daß die Natur in ihren größten und vigorösesten Würckungen in dergleichen Siebern, dennoch oft unterliegen muß, und daß dieselben in nicht andern, als nur in determinirten Zeiten, und mit bequemen remediis evacuatoriis & his quidem rite succedentibus, servata tantummodo methodo placida & naturæ amica, können gehoben, und auch in der That auf diese Weise in unzehlich Personen mehr curiret werden, als man von einigen wenigen eine beständige Würckung von dergleichen Tincturen solte behaupten dörfßen. Und muß nicht ein jeder aufrichtiger *Medicus clinicus*, der sich bey diesen

Kranckheiten der Hällischen *essentie dulcis* bedienet, offenhertzig bekennen, daß ihm eben so wohl unter der wenigen Zahl, dabey er sie *adhibiren* kan, mehr *Patienten* sterben, als er wohl unter gemeinen Leuten, die nichts dergleichen kostbahres, ja oft nur auch Wasser und Brodt gebrauchen können, gewahr werden kan. Non enim sufficit ad certitudinem alicujus remedii confirmandam exempli cujusdam adductio, præsertim talius quod non undiquaque veritatem profitetur, nec sibi met ipsi in eo constat author, num a remedio, vel ipsa natura debellatus sit morbus? quippe cum constat febribus, continuis epidemice grassantibus, quamplurimos sine ullo adhibito medicamento, restitui ægros, a sola natura, quæ conatibus suis optimis secretiones atque excretiones materiæ morbificæ omnino eliminare semper allaborat. Unde etiam sæpissime observare solent Medici clinici, quod natura plus, quam remedia in quamplurimis subjectis, præstet, suis ad salutem ægrorum vergentibus conatibus, rarissime a scopo suo aberrantibus. Vid. *Nob. Dom. a BERGER in Diss. de Natura morborum Medico*. Imo ordinarie accidit, nec unquam fallit diligens observatio, quod cum Medici remediis unice bellantes, ad morbi solutionem haud attendant a natura destinatam, totius corporis æconomiam perturbare atque tristissimam rerum faciem, ultra consuetum morbi morem inducere, morbumque a se ipso jam alienum, anomalis accidentibus, veluti alienigenatarum satellitio, stipare solent, prout id fufius præter *THOM. SYDENHAMIVM* exposuit *Cl. CHRIST. VATERVS in Diss. de Febr. contin. malign. Tb. XX. p. 23. sequ.* Neque mirum admodum existit Medicis etiam felicissimis in praxi sua, quasque quotidiana experientia ac sedula laboriosa atque judiciosa observatio, cautius in curatione morborum acutorum epidemicorum mercari ac procedere edocuit, cum & his prædicti morbi haud auscultare semper præsertimque sub ingressum novæ constitutionis epidemicæ videas, hocque non alia ex ratione, quam ob diversitatem constitutionum epidemicarum fufius a felicissimo Angliæ clinico *THOM. SYDENHAMIO in Obs. Med. circa morb. acud. Hist. & curat. Sect. I. Cap. II. integro p. m. 43. sequ.* expositarum. Huc sedulo apud se perpendens idem judi-

*ciosus*

*ciusus vir, tandem ingenue fatetur, nec ob diversitatem constitutionum epidemicarum certa methodo curatoria uti quinimo nec impedire potuisse, quin non sub initium exortæ epidemicæ constitutionis novæ, aliqui & mortis fierent candidati, donec observaverit, quæ methodus magis epidemicæ constitutioni jam exortæ, conveniat. Sic enim inquit: Hoc saltem pro comperto habeo ex multiplici accuratissimarum observationum fide, prædictas morborum species, præsertim febres continuas ita toto, quod ajunt, celo differre, ut qua methodo currente anno ægrotas liberaveris eadem ipsa anno jam vertente forsitan e medio tolles: quodque ubi semel in genuinam medendi rationem, quam hæc vel illa febris species sibi vindicat, auspiciato inciderim, ad eundem scopum collimans (favente, ut sit, optimo Numine) metam quasi semper attingam, respectu ad temperamentum, ætatem & reliqua ejusmodi usque quoque habito; donec extincta illa specie novoque gliscente malo, anceps rursus hæreo, qua mihi via insistendum, ut ægris subveniam, ac proinde nisi ingenti adhibita cautela intentisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere, ne unus aut alter eorum, qui se prius meæ curæ commiserint, vita periclitetur, donec in vestigato jugiter tandemque perspecto morbi genio, ad eundem perdomandum recto pede & intrepidus denuo procedam. Conf. quæ de hac materia fufius exposui in *Miscellaneis Physico-Medico-Mathematicis* Ao. 1727. Mens. Aprili Class. II. Artic. I. p. 215. sequ. a Cl. ANDR. ELIA BVCHNERO editis. Unde liquet Cl. SIEGESBECKIUM non respexisse ad genium atque indolem morbi, dum asserit, tincturam solarem ex terra medicinali Tokayensi elaboratam constantem in febribus continuis epidemicis effectum edidisse, cum tamen indoles morbi in omni epidemia non sit eadem; nam semper secundum constitutionem annorum diversam, varia existit, ac ipse etiam genius morbi pro varietate subjectorum varius observatur, quæ tamen ipsi maxime consideranda prius fuissent, antequam veram medicinam, adversus tam differentes epidemicas febrium constitutiones, orbi literato obtruderet, sic enim observasset, quod difficile admodum sit, generales regulas febribus epidemicis debellandis accommodare, & certos aliquos limites figere, quos ultra citraque progre-*

di, aut in iisdem consistere, haud liceat: multo autem difficilior existat, remedium constanter efficaciam suam exerens propagare, quo solo sanitas procurari morbusque debellari possit. Hoc etiam observandum fuisse *Cl. CLACIO, Medico Hallensi*, antequam medicamenta sua antihectica publico commendasset, **in gründlichen Bericht von denen balsamischen confortirenden Pillen und wahren Universal-Tinctur**. Sic etiam credulos infirmos non decepisset. Credo non injucundum erit, si quæ de effectu medicamentorum *Cl. Viri* mihi innotuerunt, tecum *C. L.* communicabo. Commendaverat *Cl. CLACIVS*, Eperienfium Physico, *Cl. JOH. ADAMO REIMANNO* medicamenta sua antihectica, qua de causa ansam assumpsit hac de re ad me scribendi & quidem *Anno 1731. d. 31. Novembris*, his verbis: *Dn. D. CLACIVS mihi specifica sua ad hecticos affectus quosvis multum commendat, & aliquem Rectorem Nagy-Palugyæ BOHV RAD nomine, allegat, qui ipsorum ope salutariter utitur, rogo inquiras in rem & genuinam relationem quanto cyus mihi facias.* Amico singulari, vera informatione inservire volens, cum familiariter mihi *Cl. BOHV RAD, Con-Rector scholæ Pofoniensis*, notus fuerat, actuque in Comitatu Lyptovienfi, & quidem Nagy-Palugyæ, apud loci Articularis pastorem, sanitatis causa degebat, sæpiusque ad nos, aëris mutandi causa, excurrerebat, facile quoque in rei notitiam pervenire poteram: Quam quidem informationem cum ipse *Cl. BOHV RAD*, postquam testamentum lecto jam jam affixus, fecisset, & beatam analyfin expectasset, dederit, non solum *Cl. REIMANNO* narraui, sed & tibi *L. C.* impertior, ipsius ægri formula loquendi: *Utinam consilio sano Medicorum patriæ ultraneo usus fuisset, nec unquam D. Clacii medicamenta usurpasset, & vix in tam miserum statum pervenisset, quamprimum enim iis uti acceperam, illico omnia deteriora me sequebantur, malum augetur, viresque languescunt, ita ut nihil amplius in votis babeam, quam placide animam meam Creatori summo resignare.* Atque hanc sinceram confessionem, aliquot ante mortem diebus factam, vel ideo hic inferere volui, quo cautiores redderentur, similibus in schedis more medicastrosum commendatorum medicamentorum, emptores, ipsique commendatores conscientiosius

scientiosius cum proximo agere discerent, nec experimenta per mortes facerent, multo minus infida auxilia pretio magno venderent.

§. LV.

Quæ hæcenus prolata sunt fusius, ea omnino adversus *Cl. SIEGESBECKIVM* sunt directæ, non alia de causa quam quod hæcenus proपालata ejus efficacia terrarum & ex his factæ tincturæ solares, imo nec natura solaris terrarum nondum luculenter & vere prolata sit comprobataque, unde ipsius erit officii, si alias sententiam suam ulterius stabilire intenderit, prolata sua magis comprobare; in specie vero processum præparandi ex terris medicinalibus Tokayensibus tincturam solarem proपालare tenebitur, si alias cavere velit, ne eadem cum plurimis aliis pro suspecta habeatur. Et tenetur profecto in conscientia *Cl. Vir* hoc efficere, prout & *Cl. DEGNERVS l. c. Mens. Julio Class. IV. Art. 8. p. 85. seq.* judiciosè monuit, si alias titulum veri & conscientiosi Medici promeriri vult. Cujus causa etiam ipsi trutinandum propono locum *Celeb. SYDENHAMII l. c. Cap. V. p. m. 109.* existantem, quo evoluta & debite trutinata magis amore proximi inflammabitur atque sic arcanum suum & Medicis & miseris ægris haud invidabit. Sic autem scribit laudatus Anglus: *Revera autem si quis inter mortales reperiatur, qui sive metodo aliqua certa, sive remedio specifico adhibito, febrium harum intermittentium cursum, adeo & continuarum epidemiarum imo ipsius pestis, non solum inbibere, sed etiam omnino abrumpere norit, existimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam summopere expetendam, patefaciat: quod si non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciarè ausim; neque enim civis boni est, illud in rem suam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apporet; nec viri prudentis, divina benedictione semetipsum privare, quam a summa bonitate liceret expectare, si ad publicum bonum promovendum se accingeret. Honoris autem ac divitiarum longe minor apud probos, ratio habetur, quam virtutis & sapientiæ. Tincturam autem solarem cum ex terris medicinalibus extrahere haud poterit, rogo ne talem rursus propalet, qualis jam in vulgus nota est, &*  
non

non nisi pro tinctis habetur menstruis, quæ tamen haud raro magno constat & pretio, & cum multis inanibus encomiis passim venditur, quo decipiantur, ut recte loquitur *Nob. Dom. a BERGER l. c. §. XXIII. p. 44. sequ. qui velint decipi, atque essentiam dulcem & tincturam sacchari accipiant, qui magna cum aviditate tincturas aureas multo auro emptas bibere gestiant.* Exiguum enim lucrum ex tali redunderet non modo in rempublicam medicam sed & praxin egeni salutem atque commodum, uti scite itidem laudatus modo acutissimus vir inquit: *Hæc miserorum egenorumque spes est frustranea: inscitia pharmacopolarum & temeritas est magna: perfidia longe major, & peccatum eorum omnium maximum, qui ex hominum vita suum querere lucrum non erubescunt.* Tincturas autem ex terris sigillatis hætenus extractas hodie practici Medici haud multi æstimant, quippe cum eadem, demonstrante *Celeb. LUDOVICI l. c. Diff. I. p. m. 255. sequ.* tum originis, tum coloris causa, speciosa quidem sunt at pro simplici adstrictorio martialibus, æque ac ingratus istius liquor revera posteriores, in malignis autem alias inconvenientiores sunt.

§. LVI.

Affertum autem *Cl. SIEGESBECKII*, uti ex his satis superque dubium imo falsum esse quivis videre poterit, demonstrandum tamen adhuc venit, quod falsa superinstructum sit hypothetici. Non equidem miror amplius veteres & imprimis Arabes, cum quibus & *ANDREAS CAESALPINVS* facit, *Lib. III. de Metall. Cap. III.* auro vim cardiacam adscripsisse, quod sua frigiditate repellat a corde pravas fluxiones, siccitate autem & substantia incorruptibili, tueatur idem ne putrescat, præsertim cum video rei Medicæ recentiores scriptores, adhuc magis insanire, dum non enti tantas adscribant virtutes, quippe cum aurum apud veteres in magna fuerit existimatione, ita, ut multi curiositate rei allecti, integris scriptis, causam hujus tantæ æstimationis, inquirere haud tædiosum esse putabant, unde etiam factum, quod persuasum sibi maxime habuerint, aurum plus intus in corpore quam foris vel applicatum vel solum oculis usurpatum præstare possit. His omnino ut aliquantum conniveri debet,

cum

cum circa corpus auri, illorum occupata fuerit philosophia, ex quo omnino, prout superius adnotatum est, remedium haud contemnendum confici possit, at ubi recensiores, simiarum more, hos sequi omnino praesumerent, altius sapere volebant & spreto auri corpore, sulphur ejusdem, ex terris & arenis solaribus, omni auro tamen vacuis, extrahere allaborarunt, quod ipsis nomine sulphuris solaris sive auri venit, atque tincturam, sulphure solari praedicto stipatam, auri sive solarem nominarunt, insanire sanioribus Philosophis & Medicis revera videntur, & quidem non sine injuria, quippe cum spreto essentiali corpore, non ens aggressi sunt, atque ex eodem ens aliquod revera existens, elicere volebant, omni labore & conatu etiam maximo. Terras enim solares omni auro esse expertes, neque sulphur auri, qua auri, sistere scrutatori & investigatori solertissimo, superius demonstratum est, adeoque quaeso, quomodo ens aliquod, ex corpore aliquo, educere vel elicere quis poterit, quod corpore sive ente quaesito destituitur? Nihilominus tamen etiam his perpensis ulterius illorum abiit diligentia insania potius dicam, atque artis opera productis, & omni auro destitutis, imo ipsis etiam terris medicinalibus Tockayensibus omni auro vacuis, eandem vim & efficaciam, in debellandis morbis iisque etiam maximis ac herculeis, quos alia medicamina, quae in officinis pharmaceuticis haecenus prostabant, propellere haud possunt, multis & ambitiosis elogiis collaudare similemque effectum praestare, quam aurum ex eoque paratum aurum potabile verum, haud erubescunt. Hoc cum faciunt, revera se produnt esse Philosophos & Medicos ideales, qui non nisi insomnia horumque non entia scrutantur, nec scire quid possident, multo minus quid tantis encomiis & titulis collaudent. Hos si ignorantiae fratres dixeris haud errabis, cum inficitiae suae hoc ipso luculentissima edunt specimina. Multum enim dum sapere volunt, revera desipiunt, ita, ut existimantes se esse plenos sapientiae, satis superque desipientiam prodant; unde amplius mirari quis desinet, quod ex uno errore in alium incidant, consili admodum in suis speculationibus, a scopo vero admodum aberrantibus. Qua potissimum etiam de causa fa-

O

Etum,

ctum, quod ex uno falso supposito ad aliud quoque delapsi sint. Existimantes enim, cogitatione non nisi aurum & essentias solares sapiente, solaris naturæ esse terras, ex hisque extractas tincturas, adeoque etiam vim æqualem, quam auro alias adscripsere authores Chymici & Medici his tribuerunt, eamque maximis e-logiis collaudarunt. Effectum autem illum, ut ipsum etiam aurum, sic & omnes, quæ naturæ sunt solares substantiæ, ex perpetua illa analogia mundi majoris cum homine, atque cognatione ista, qua astra cum metallis, & utraque cum visceribus quibusdam corporis nostri, tacito rerum consensu conspirante deducunt, quemadmodum id fusius exposuit *TOB. SCHVZIUS in Harmonia Macrocosmi cum Microcosmo per totum tractatum*. Verum enim vero, nullus credo sanioris Philosophiæ cultor, non videt, quod imbecilli atque falso fundamento, ex Astrologorum fontibus superstitiosis magis quam veris emanante, hanc doctrinam de efficacia auri, substantiarumque aliarum solarium, superstruxerint, illi enim, uti ex laudato authore evidenter apparet, omnia naturæ opera, astris superstitiose tribuebant, dum vi, tactuque solis & lunæ, ac reliquarum stellarum, quæ planetæ vocantur, e cælo in terram diffuso, metalla gigni & concrefcere, corporaque nostra soveri ac regi existimarent, tot numero metalla, quot sint planetæ, constituerunt, eaque non horum modo nominibus appellarunt, sed etiam in singulis nescio quid astralis & fiderei, agnoverunt, assignantes aurum soli, argentum lunæ, stannum jovi, ferrum marti, æs veneri, plumbum saturno, argentum vivum mercurio. Et quo vires tam planetarum, quam metallorum ad corpora humana accommodarent, septem quoque fecerunt membra corporis, ut vocant principalia, & suum cuique astrum, cæleste pariter ac terrenum, cujus naturam participaret, præfece-  
runt. Hac ratione ex lege similium cor, quod, quanquam suo loco non migrat, totum corpus vivido sanguinis calore perfundit, solem vocant microcosmi, & sedem ignis ac spiritus vitalis, & respondere ajunt soli, tanquam astrorum domino, & cordi mundi, unde vivificus universi calor manat. Hinc vero etiam aurum, solem terrenum, cordi admodum benignum esse volunt, atque  
amicum

amicum propter naturam analogiam. Quam vana autem sint hæc commenta Chymicorum Astrologizantium, vel ipse dissensus eorum in explicanda ista analogia comprobatur, quem fusius explicavit *Celeb. HERM. CONRINGIVS de Med. Hermet. Lib. I. Cap. X. & Lib. II. Cap. II.* Ut nihil amplius dicam de numero metallorum, in quo hæctenus authores determinando haud convenire poterant, quem alii ad sextarium, alii ad quinarium, alii ad septenarium revocarunt, alii vero huic ultimo adhuc binarium addere haud sunt veriti, & rursus alii cum *AMMONIO* indeterminatum incognitumque esse dixerunt, rationibus haud levibus, quamvis pro numero suo determinato ducti. Idem etiam dici potest de Planetis, quorum cœtui recentiorum industria, quatuor jovis & quinque saturni comites addidit. Nec desunt, qui eodem cum his genere hanc tellurem nostram contineri, & lunam habere comitem affirmant cum *acutissimo CHRIST. HUGENIO in Cosmotheo- ro Lib. I. p. m. 16.* Neque etiam recte membrorum principalium calculum iniverunt, quippe rectorem digestionum, videlicet ventriculum, e numero eorum excludentes. Quæ omnia, cum sufficientia argumenta præbere possunt, pro vanitate assertorum eorundem demonstranda, utque necessarium haud esse existimem, demonstrationes alias texere, atque argumenta deducere, partim ab impossibilitate rationum & effectuum assertorum, partim vero ab eventuum contrariorum in natura observatorum, asserta ante commenta destruentium, prout eadem fusius exposuit & profecutus est, *laudatus sæpe Nob. Dom. a BERGER l. c. §. VII. & IX. p. 14. sequ. & 16. sequ.*

#### §. LVII.

Atque hæc prolata Chymicorum Astrologizantium commenta, uti fundamentum lubricum, videlicet falsam hypothesein agnoscunt, sic quoque ubi de usu & applicatione metallorum in corrigendis affectibus viscerum, quibus dicata sunt, agendum erat, ridicula admodum hypotheseibusque nunquam demonstrandis superstructa, adferunt rationem momenta, ita, ut saniores, merito horum prolata averfentur, aliosque admoneant, quo cautiore sint, ne ab his facile decipiantur. Ita autem plerum-

que evenit, præsertim in rerum naturalium scientia, ubi omnia conjecturis plerumque assequi debemus, quas observationes fida & certæ ac legitime institutæ, magis magisque certiores reddunt, ac evidentius confirmant, si claves naturæ negligantur, dum arcem naturæ referare animus est, ut ex uno errore in alium semper incidamus, atque errorem cum errore contegere studeamus, quemadmodum eleganter monuit *JOH. JAC. LEHMANNVS* in *der neuesten und nützlichsten Art die Vernunft-Lehre, folglich die Verbesserung des Verstandes gründlich zu lernen und leicht auszüben, Part. I. Lib. I. Cap. V. §. VIII. sequ. p. m. 319. sequ.* Unde etiam haud amplius mirari debet, si ante adductorum commentorum patronos, videas figmenta sua lepida aliis fictis commentis, ubi de usu & applicatione metallorum in corrigendis affectibus viscerum, sermo est, confirmare; si exempla desideras, non e longinquo ea petere opus erit, cum & hic se exempli loco sistant *Cl. SIEGESBECKIVS l. c. p. 535.* Sic enim, ubi operationis rationem tincturæ solaris debito modo præparatæ, tradit, cum Chymicis quibusdam philosophatur, inquit: *Es mußsen aber selbe debito modo præpariret, das ist, ganz aus ihrer mineralischen Natur zurück gebracht, und recht aufgeschlossen seyn, damit sie sich solcher Gestalt mit dem menschlichen Archæo (daß ich mich der Redens-Art einiger Philosophorum Chymicorum bediene) recht und auf das geschwindeste vereinigen, und ihre ihnen von Gott specificæ adversus luem pestiferam eingepflanzte gute Wirkung exerziren können.* Ex allatis itaque verbis, egregia illa Philosophia, in hypothesium commentis fundata, atque similibus rursus comprobata, qua in declaratione modi operationis *Cl. Vir* utatur, uti luculenter fati patet, sic quoque haud difficile erit, eandem ut ineptam ac falsam rejicere & ad melius philosophandum *Cl. Authorem* hortare: Nam inter omnes Philosophiæ naturalis & Medicinæ professores jam constat, in corpore animato, præter partium solidarum fluidarumque harmonicam compactionem, nihil repiriri, nec quidquam præter harum partium dispositionem mechanicam, ac mutuum motum, ad vitam humanam requirit, accurate id ostendente *acutissimo Nob. Dom. a BERGER* in *Diss. de Vita*

& *Morte integra*. Unde quo fine fabricatus fuisset archeus, fignmentum illud Helmontianum, natura ignorat, ipsi autem naturæ consulti nullis modis investigare possunt; attributa autem ejusdem a *DOLAE* in *Encyclop. Medica*, huic assignata, lepida & fabulis anilibus admodum similia sunt, si eadem ab archeo deducantur tanquam a microcosmi Rectore profecta, quippe cum eadem ipsi naturæ opifici, spirituique, propria notione intellecto, conveniunt; unde maxime quivis videt, ab his homuncionibus nihil nisi principia astralia & chymica sapientibus, in ludicris illorum commentis, causas naturales, voluntariis actionibus transcribi, egregie id docente *sæpius laudato & nunquam satis laudando Nob. Dom. a BERGER Lib. I. de Nat. Hum. Cap. XXI. p. 288. sequ.* Adeoque necesse est, ut comprobet prius idoneis argumentis, analogam naturam archei, solis ipsiusque metallorum regis, auri puta, quicumque unitionem virtutis auri cum archeo, ex mente ante adducti *SIEGESBECKII* statuit; opinionibus enim dubiis & vanis assentiri, eaque probare, quæ usus rerum & eventa, ac graviora rationum momenta, refellunt, velut communis sensus. Nec enim necessarium esse existimo, aliunde, & speciatim ex fonte hypothesium actiones corporum ac medicamentorum operationes derivare; ubi eæ a partium fluidarum & solidarum textura ac dispositione legitima, deduci possunt. Entia enim, uti omnino in toto Philosophiæ cursu, sic speciatim etiam in Philosophia naturali, maxime autem Philosophia Medica, præter necessitatem non sunt multiplicanda, adeoque etiam spiritus illi cordis insiti & influi, qui vitalium, aut archei nomine veniunt, cum natura, textura sua partium conveniente, omnes actiones perficiat in corpore animali, non sine necessitate ad corporum actiones perficiendas, ac remediorum operationes sunt adducendi, quin potius e finibus incorruptæ Philosophiæ & Medicinæ exterminari illas rationes, in hominum quorundam cerebris educatas oportere, nemo temere inficiabitur, præsertim cum *Celeb. JOH. BOHNIVS in Circul. Anat. Physiol. Progymn. IV. p. m. 60. sequ.* satis superque insufficientiam spiritus vitalis propalaverit, demonstraveritque *HARVAEVS ad Riolanum*, eosdem communi saltem igno-

rationis superfluo infervire. Quo itaque *Cl. SIEGESBECKIUS*, assertum suum de unitione virtutis auri cum archeo chymicorum, comprobabit, viderit. Si autem cum *Cl. JOH. ADOLPH. WEDELIO* in *Diss. de Sangu. Menstruo Cap. III. p. 17.* animam humanam sub notione archei intellexerit, eamque huic substituere conabitur, majori adhuc difficultati se se involvet, cum demonstrare omnino tenebitur modum, quomodo substantia corporalis in substantiam incorpoream agere, non tantum, sed & cum eadem uniri poterit, ut ita conjunctis viribus hostem debellare queant, ut alia taceam, quæ *BÖHNIUS*, *Nob. Dom. a BERGER, FR. HOFFMANNUS*, *NEBELIVS. P. C. BVRGMANNUS, STENZELIVS, MART. NAGY. BOROSNAI*, aliique contra hanc recentiorum hypothesein exposuerunt. Certum equidem est, aurum in corpore, non vero in tinctura, aut sulphur tantum auri, animum hominis ita afficere atque recreare, ita, ut quidam Medici & melancholicos pelvibus auro plenis recreare posse, asseveraverint. Et quidni aurum fulgore suo animam perstringat & mulceat, cum ut est in adagio, aureo laqueo lepus etiam leonem trahat, & ubi aurum loquitur, Tullius ipse taceat. Ex eo fonte itaque existimo etiam ad usum Medicum venisse, dum viderent aspectu auri substantiam animum hominis recreare, hinc quoque interne sumptum & externe applicatum, animum hominis lætificare cor recreare, melancholicis commodum spondere, aliisque affectibus œconomix animalis præternaturalibus mederi, plurimi cum *LEVINO LEMNIO* de *Occult. Nat. Miracul. Lib. III. Cap. VI. p. m. 506. sequ.* statuerunt, quamvis revera nihil alleviationis multo minus medelæ in adductis aliisque malis attulerit, demonstrantibus id *DANIELE SENNERTO*, *JOH. AGRICOLA*, & ipso etiam *THEOPHRASTO PARACELSO* de *Resuscit. Rerum Nat. Lib. VI.* Cui tamen auro crudo cum non admodum fidendum esse existimaret modo laudatus *PARACELSVS*, imitatus est *BASILIVM VALENTINVM*, cum quo & laudatus *SIEGESBECKIVS* facit, dum unice astralem auri indolem recludere allaborant, hancque illam esse medicinam hæctenus quæsitam affirmarent, quæ effectus suos ob cognationem cum archeo corporis nostri, ut cum *HELMONTIO* in

*Tr. V. H. § L. Cl. SIEGESBECKIUS* statuere videtur, quam citissime exierit. Verum nec huic medicinæ, multo auro & labore paratæ, multum tribuere videtur, *laudatus supra LVDOVICI l. c. Diff. I. p. m. 97. sequ. & p. m. 288. sequ.* dum eandem pro supervacanea & plane prodigali habet, cui nec effectus respondet. Unde non immerito admonet *idem Celeb. Vir. p. m. 293.* Medicos præticos, ut hoc ævo sibi e medicamentis aurum, quam ex auro medicamenta parent. Atque hoc etiam æquum visum fuit, a fraudibus Medicorum & Pharmacopolarum alienissimo *PAVLO AMMANNO in Iren. Num. Pompil. cum Hippocrat. p. m. 32.* ut frustula quidem auri majora Medicis pro corroborante, ob singularem, quam cum illorum habeant marsupiis, sympathiam, servire putaret, neque aurum foliatum ægrotis pro inaurandis medicamentis invideret, speciebus vero aureis & lætificantibus, sive Galeni sive Rhafis, tantum in curanda melancholia tribueret, quantum sapientiæ vel vinum lætitiæ, in actu depositionis ad sapientiam vel lætitiâ conferre possit. Idem profecto iudicium ferre possem de terris medicinalibus Tokayensibus, si his auri corpus admixtum esset, ut auri partes artis metallurgicæ ope eruerentur, ac potius inter pauperes ægros distribuerentur, quam ut in usum Medicum fumerentur, quippe cum hic inanis sit, imo deceptorius & inconscientiosus, magis enim sic redundaret in egenos commodum, dum victu convenienti, auro parato, ex præscripto medicorum uti possent, sicque vel sola diata id in eorum affectibus morbosis præstaretur, quod nunquam usu auri vel tincturæ ejusdem effici potuisset. At cum omnis auri sint expertes, merito huic ferendo supersedere possum ac debeo.

## §. LII.

Jam id ex hætenus copiose & fuse satis expositis luculenter satis patet, id quod superius monitum est, *Cl. DEGENERVS* quoque *l. c. p. 567.* omnibus a præjudiciis solaribus liberis Medicis, ad dijudicandum proposuit, sequentibus verbis: Ich lasse hierinn einen von præjudiciis solaribus freyen Medicum urtheilen, was für Frost und Heil er aus einer solchen proposition (existimat) alsertum superius adductum *Cl. SIEGESBECKII* für seine Kranken finden

finden könne, nachdem es allzumahlen *petitiones principiorum* sind, die man noch bis auf den heutigen Tag durch ein einziges wahrhaftiges *Experiment*, daß sich diese angegebene Dinge also verhalten, erwiesen zu werden erwartet: Angesehen weder die gewisse *existenz* eines solchen *a partem sulphuris solaris*, noch dessen gerühmte *efficacia medica-analeptica*, am allerwenigsten aber dessen *virtutes specificæ antiloimica* sich legitimiret hat. Atque hanc quidem assertionem cum pressius prosequatur *Celeb. FRID. HOFFMANNVS in Obs. Physico-Chymicis Select. L. III. Obs. XXI. p. 370. sequ.* præsertim cum & demonstraret, medicamenta ex auro parata, nunquam promissis in effectu respondere, quin potius ex ignorantia veræ *Physicæ & theoriæ Medicæ* modique medicamentorum agendi partim, partim vero ex *lucris cupiditate*, idem statuere quosdam per ignem *Philosophos*. Audiamus igitur verba ejus, dum sic inquit: *Verum enim vero hæc dulcis de auro in sanandis morbis opinio, partim ex ignorantia veræ physicæ & theoriæ medicæ modique agendi medicamentorum, partim etiam ex lucris faciendi ingenti cupiditate, prima sua initia & incunabula traxit. Nam si ad veræ Chymicæ & accuratioris praxeos examen hæc tam magnifice laudata ex auro parata remedia revocantur, certe hæc parum solidi præstare posse, ut potius plus damni quam emolumenti inde proveniat, luculenter apparebit. Nam primo in substantia medicamenta ex auro, sive in croco, sive pulvere data, nihil plane efficiunt, quia ut supra diximus, nihil in rerum natura reperitur, quod auri corpus solvere potest, præter aquam regis. Cumque metalla non in corpus agere possunt, nisi prius soluta, ut ingressum in eorum poros habeant, & nullus liquor vel menstruum interne reperitur, quod id efficere possit, facile patet, aurum in substantia relinqui intactum & omni carere in humano corpore effectu. Jam vero quando aurum solvitur, id non alia ratione præstari potest, nisi per aquam regis aut per salia, sal commune & nitrum. Hæc adjecta sufficienti quantitate aquæ probe cum foliis auri decoquantur: utroque modo sic instituta solutio septica & corrosiva evadit, quanquam sub priori modo sit eminentior. Atque hæc cum ultro nec confirmasset, tandem etiam de radicali auri solutione per menstrua insipida mentem suam exponit acutissimus vir sequentibus verbis: At vero, ut ingenere,*

*citra*

*citra ullius contemptum, in honorem veritatis meam exponam sententiam, hæc Chymicorum asserta sunt partim suavia insomnia & signenta, partim fraudes, quibus famam & lucrum aucupantur. Ne autem hæc gratis dicere videatur, id confirmat (1.) Ex corpusculorum auri incomprehensibili subtilitate & nexu. (2.) Ex impossibili præparatione similis menstrui, ob dubiam existentiam materiæ, ex qua tale præparari possit, uti id exemplo mercurii vivi confirmat. (3.) Ex ignorantia solutionis aliorum metallorum per tale menstruum. (4.) Ex diverso effectu quem aurum vere solutum præstaret, ob mutatam partium nexum & pororum constitutionem. (5.) Ex defectu exemplorum radicalis solutionis & denique. (7.) Ex ignorantia vere effectus medicamentorum & veræ theoriæ chymicæ. Quæ quidem argumenta pleraque, adversus eosdem neget. Hæc uti verissima sunt, nec ulteriore indigent confirmatione, sic illud quoque negari nequit, verum aurum potabile secundum methodum acutissimi BERGERI superius expositam, ex ipso corpore auri paratum, eximias omnino edere virtutes, nec contrarius ero, si quis huic & vires corroborantes & purificantes adscripserit, cum quicquid pressionem humorum & circulum vitalem instaurat, pro corroborante remedio jure habetur, hoc autem, cum a vero auro potabili, secundum superius descriptam methodum præparatum, omnino expectari potest, quippe quale pondere suo, motui sanguinis & pressionis, momentum adhuc majus addere, & divisionem minimorum magis augere, ac cohæiones ac *σπράσεις* humorum potentius superare, & totum sanguinis circuitum, indeque pendentem secretionem & excretionem eo vigore instaurare poterit, ut omnia corporis membra influxum vegetiorem recipiant. Atque hæc asserta copiosius exemplo mercurii vivi profecutus est *Celeb. Nob. Dom. a BERGER in Diss. de Auro Potabili §. XIIX. sequ. p. 37. sequ.* Quæ perpendens accuratius *Illustr. R. BOYLEVS de Utilitat. simplic. Medicament. §. 6.* ipso tandem edoctus usu, de auro potabili vero, præclarius sensit, cum ante uti id videre est *in Exerc. V. de Utilitat. Phil. Experiment. & locis aliis, solutiones auri vulgares minoris fecisset.**

## §. LIX.

Prolixior aliquantum fueram, in examinandis prolatis Cl.

*SIEGESBECKII*, quod tamen æqui rerum æstimatorum haud vitio vertent, præsertim cum aliquanto penitius perpenderit, multos, imo plurimos Medicos hodie unice solaribus medicamentis debellare morbos, & non nisi solaria arcana jactitare, non tam ut miserorum ægrotorum rationem haberent, quam ut marsupia sua auro adimplerent. Qua potissimum de causa factum, quod saniores, atque optime de salutari arte, ipsaque Philosophia naturali, meriti Celeberrimi professores, horum conatibus deceptoris & frivolis se se opposuerint, nullo autem modo efficere id poterant, licet ponderosissimis rationibus & experimentis certissimis, evidentissimisque adversus horum conatus inconscientiosos, pugnant, inaneque fati superque demonstrarent, quo eosdem a præfatis illicitis conatibus revocarent, ut & hodie non defint, qui post habitis omnibus cautionibus, imo ipsa conscientia bona repudiata, horum castra illicita sectantur, quacirca nullus, uti tutus existimo, sufficientem fati operam præstare poterit, quo hos solares Philosophos æque ac Medicos, a superstitiosis suis hypothefibus ac processibus aurariis ridiculis (quo titulo etiam suo jam tempore exceperit horum processuum authores, in specie vero *CAROLVM de PETRA ALBA* demonstrando, eosdem judicio parum confirmato præditos esse, *laudatus sepe CRATO in Epist. Medicinalibus Lib. I. Epist. II. p. m. 186. sequ.*) ad saniora revocari possint. Jam enim pertinaciter ipsis inhæret præjudicium illud, ut nulla ratione ab eodem avocari possint, licet sufficienter ab experientia etiam propria sint informati, se incassum tantos labores suscipere, ac sumptus in eosdem impendere, cum nihil minus quam medicinam catholicam, quam summopere efflagitant, huicque elaborandæ inhiant strenue, investigare multo minus invenire posse, quæ omnino intentioni & requisitis medicamenti catholici, undiquaque ex vero satisfaceret. Neque id vindico meis animadversionibus, quas in prolata *Cl. SIEGESBECKII* dedi, tanquam his ad saniora reducentur, quippe cum suam optime, hos non tam rationum pondera, atque experimenta legitima respicere, quam superstitiosis hypothefibus & fabulosis relationibus, duci, atque his fulcris, omnia sua metiri ac accommodare. Tan-

tum enim est autoritatis præjudicium in his auctoribus, ut a se-  
mel electa vel recepta hypothefi, nullo conamine revocari pos-  
sint, quod præjudicium electæ ac receptæ hypothefeos appellat  
*laudatus LEHMANNVS l. c. §. XXXVII. p. 348.* ac tantæ esse effica-  
ciæ tradit, quo nullo argumentorum ponderosissimorum mo-  
mento corrigi possit, unde etiam non mirum si, prout habet, i-  
dem author *l. c. §. LXIV. p. 367.* his occupati, etiam meditationi-  
bus incertis & fictionibus fabulosis indulgeant. Illud autem ma-  
xime præmissis meis animadversionibus intendo, quo omnia de-  
monstrentur eosdem somnia & non entia scrutare, sique ad sanio-  
ra reduci recusent ac nolint, ægri tamen ad minimum cautius  
mercari discerent, nec crumenas suas, sive marsupia, auro emun-  
gere, sibi ab his deceptoribus patiantur, quippe qui, horum uni-  
cus existit scopus, non vero restitutio sanitatis, quam tamen am-  
bitiose satis & audacter appromittunt. Hunc igitur scopum in-  
tentionis meæ si assecutus fuero, satisfecisse me functioni meæ  
modernæ existimato; de cætero non curans, velint vel nolint ca-  
tholicorum medicamentorum patroni solares, ad saniora redu-  
ci, atque magis magisque sanitatem proximi curæ cordique ha-  
bere, ac conscientiæ suæ prospicere, ut eandem inculpatam im-  
maculatamque coram iudice maximo, sistere possint.

## §. LX.

Illud autem nequaquam, ut quis colligeret, volo, tanquam  
terræ medicinales Tokayenses omnino nihil in debellandis fe-  
bribus continuis, etiam malignis, præstarent, quin potius, ut &  
illis, haud contemnendum effectum adjudicem, experientia  
quotidiana præcipit, quippe qua constat, hanc solam terram, nul-  
lis aliis adhibitis remediis, maximam præstitisse efficaciam, dum  
a pharmacopœo ante sex circiter annos, mihi pro certo assevera-  
tum sit, eam optimo cum successu adhibitum fuisse, ita, ut multi  
ejusdem usu, a febribus etiam petechialibus liberati fuerunt.  
Hæc autem licet experientia nobis dictitat, nollem tamen, ut huic  
ita confidatur, tanquam hæc omnino semper & sola totam cu-  
rationis paginam absolveret, quippe cum satis superque constet,  
constitutiones febrium non modo epidemicas, & genium spora-

dicorum,

dicorum, pro varietate causarum efficientium differre, quemadmodum superius ex *SYDENHAMIO* monui, atque id consensu suo quoque approbat *felicissimus CRATO Conf. Med. Lib. XV. Conf. XXV. p. m. 172.* dum triginta annorum observatione id se deprehendisse afferit, quod nullo anno, iisdem symptomatibus, febris synocha, ipsi Ungarica etiam dicta, recurrat; rerum etiam ob diversitates naturarum, quæ in corporibus hominum deprehenditur, superius ex *HIPPOCRATE* etiam comprobatas; His enim potissimum de causis, diversa quoque curandi methodus requiritur, ac summopere Medicus clinicus id attendere debet, quo motus naturæ regulares ab irregularibus probe discernere cognoscat, quippe cum solis conatibus naturæ bonis & regularibus, sæpe observantur febres continuæ, cujuscunque speciei, solvi, ac penitus debellari. Quod cum certum est, merito etiam cardo curationis illuc dirigitur, quo observatis motibus naturæ ad salutem vergentibus, sive regularibus, secundum hos etiam curationis methodus metiatur, ad mandatum *HIPPOCRATIS* sic præcipientis, ut quo natura vergit eo etiam duceretur. Quod aureum præceptum divini senis, sedulo, præsertim in curatione febrium continuarum, uti merito ab omnibus clinicis attendi debet, sic quoque e contra, ubi motus irregulares natura excitat, vel motus regulares segniores aliquantum deprehendantur, omnibus viribus illuc solertia & industria practici Medici vergere debet, quo illi supprimerentur, hi vero aliquanto excitentur, prout id *Nob. Dom. a BERGER in Diss. de Natura morborum Medica*, exposuit, idem etiam licet ex hypothesi falsa *STAHLIVS in Diss. de Necessitate Artis Medicæ* demonstrat. Naturam itaque ducem sequentes Medici clinici, in curatione febrium continuarum, id maxime attendere adhuc debent, quo modum solutionis criticæ rite observarent, naturamq; optime agentem medicamentis haud sollicitarent aut turbarent, impedirentve, sed expectatione cauta uti, ex parte bene monuit *GEDEON HARVÆVS de Arte morbos expectatione curandi* vacent, qua & actiones naturæ melius observentur, nullo vero modo turbentur aut impediuntur. Natura enim sæpissime sufficit ad febres debellandas ac critiche solvendas. Ubi  
autem

autem natura morbum per excretiones criticas perfecte haud solvere poterit, aut ab suscepta semel solutione sed excretoria impedita turbataque desistit, hinc sollicitanda erit medicamentis convenientibus, iisque blandis, ac motui ejus a scopo semel suscepto aberrantis sistendi venient. Hæc uti observari maxime debent in curatione febrium continuarum, cum totius curationis cardo his absolvatur momentis, sic quoque illud elicitur, quod ob diversos naturæ conatus, differentesque excretiones criticas ad solutionem morbi tendentes, diversa etiam adplicari debeant remedia. Qui vero unico aliquo remedio, curationem omnium febrium, harumque constitutionum epidemicarum, instituire vellet, profecto, ille admodum a vera curationis intentione quam maxime aberraret, idque sapius efficeret, quod quem ipsa natura liberasset conatibus five motibus suis regularibus, ad solutionem morbi veram & criticam tendentibus, a morbo, Medicus talis, sine discrimine & haud consideratis observatisque motibus naturæ, unicum hoc suum remedium exhibens, quod & naturæ motus vel reprimere vel excitare vel promovere (quod tamen impossibile existit,) deberet, agrum pessundaret atque periculo maximo subjiceret, quippe cum tale remedium, naturæ conatus & reprimere & sistere, & excitare ac promovere semper haud potest; Nullum enim datur medicamentum, quod dato casu semper diversos & casui convenientes ederet effectus. Ex applicatione autem hujusmodi remedii illud efficeretur, quod ubi natura vergit ad solutionem morbi per alvi fluxum, illud hos conatus naturæ reprimeret, & alvi fluxum sisteret, sicque nihil aliud efficeret, quam quod maxima turbatio motuum naturæ excitaretur, ipsaque mors invita etiam natura, nec præsentè termino fatali ægri, acceleraretur. Qua itaque potissimum de causa, etiam non sine limitatione assumi debet, dum statuitur & terras medicinales febribus continuis, harumque epidemicis constitutionibus, auxilium ferre, illique mederi. Illud enim necesse est, ut & de his terris fateatur, quod non nisi ferente casu, & indicationibus curativis legitime deductis, ex ipsis fontibus id exposcentibus, aliquam ferant opem in curatione febrium continuarum, videlicet: ubi moderanda

deranda humorum commotio nimia, eorumque æstus temperandus, ac turbata mixtio corrigenda, atque laxior fibrarum tonus roborandus est. Adeoque in illis maxime febribus optime exhibetur, ubi sudor blande eliciendus est, hunc enim sine commotione sanguinis nimia elicit, ac æstum febrilem blande temperat, potissimumque alvi fluxui symptomatico optimo cum successu opponitur. Atque hi effectus assignati terrarum Tockayensium medicinalium non modo sunt excogitati, aut ex aliis authoribus practicis exscripti, sed ex ipsa partium ex quibus constant, essentia atque compage fluunt, & ab his deduci possunt. Nam partes terræ pingues & veluti oleosæ, consistentiam ac mixtionem corrigunt; salinæ, æstum humorum eorumque orgasmum temperant; metallicæ ac in specie martiales, quod ex parte etiam faciunt terræ, laxiorem fibrarum tonum corroborant. Utque adeo his potissimum de causis, in febrium continuarum curatione, & quidem pro indicantium ratione, terras jam laudatas adhibere tuto quivis Medicorum possit; qua in re consentientem quoque habeo *GVILIELM. RONDELETIVM Operum Med. p. m. 1245. Tit. de Pharmacopolarum Officina*, ubi de boli Armeniæ effectu plane similia refert. Quibus etiam præsuppositis, laudare legimus, terras sigillatas ac bolos, Armeniæ præsertim, aliasque ab optimis clinicis, puta *CRATONE, SENNERTO, PHIL. HOCHSTETERO, SHROEDERO, DALE, GEORG. WOLFGANG. WEDELIO*, aliisque, utque adeo nec me multa dixisse videor, de utilitate terrarum medicinalium Tockayensium, quæ alias terras & puritate & bonitate, aliisque proprietatibus longe superant, vel ad minimum in nullo momento iis cedunt, uti id de nostris terris etiam auctores practicos statuere quotidie notamus. Eo certius autem hæc prolata assertaque publice expono, quo certior redditus sum, jam ab aliquot annis, a quo primum in ulum Medicum sumere præfatas terras inceperim, ab experientia haud ficta, in febribus continuis sporadicis, æque ac epidemicis, has maxima cum successu, ægris exhibitas fuisse, præsertim si cum aliis diaphoreticis temperatis commiscebantur. Qui effectus terrarum laudatarum Tockayensium experientia confirmatus, cum omnino argumentum præbere

præbere potuit, quo colligere liceret, & in Peste ipsa, summo illo febrium continuarum generi, datis videlicet casibus, in quibus indicantia ejus usum exposcerent, aliquam opem ferre posse; Verum cum propria hæctenus experientia destitutus sum, illa autem quæ veteres & præteriti seculi Medici, de effectu boli Armenæ, terræ Lemniæ & sigillatarum aliarum terrarum exposuerunt, mea facere nolo, non audeo determinare, quid omnino ab his non tantum in præservatione, sed & curatione pestis expectari debent, donec experientia confirmatus certa statuere licebit. Quæ enim certe & evidenter satis comprobata haud sunt, aliis obtrudere, ut crederent religioni mihi duco.

## §. LXI.

Quæ cum experientia confirmatus, statuo nullo tamen modo volo, ut quis colligeret, me ductu veterum Medicorum, idcirco asserere, terras medicatas Tockayenses, certis in casibus ubi indicantia earum usum requirunt & exposcunt, febribus continuis etiam malignis opitulari, quod venenis resistere credantur. Ecquidem non me latet antiquissimorum non modo sed & sequioris ætatis Medicorum opinio, qui ex ferocitate ac contagio febrili, id conlaserunt statueruntque illas potissimum febres omnino venenatas esse, uti id statuit etiam *MART. RVLANDVS* de morbo Ungarico. Cap. VIII. Quæst. XXIX. p. 433. sequi. Atque hanc venenositatem cum antesignano suo *GALENO* Lib. VI. de Locis affectis, a putredine varia humorum deducunt, uti id explicat *JOH. FERNELIVS* de Abd. Rer. Caus. Lib. II. Cap. XV. p. m. 232. inquit: *Quæ porro intus gignuntur venena, non ut superiora primo suæ naturæ ortu, sed longo ordinis progressu atque mutatione talia evaserunt. Ut enim ex varia humorum putredine, sive ea ex intemperie, sive aliis ex causis orta sit, diversigenis febres excitantur, ita sane ex putredine longius progressa, vel alia certiore ex causa venenum in nobis provenire gigni que potest. Galenus ait veteres hanc questionem disputasse, evidentissimis que rationibus collegisse, eosdem affectus fieri & a lethali veneni potione, & a corruptione quæ a corpore scaturire potest. Hanc autem quam appellat corruptionem, re ipsa venenum esse mox canis exemplo demonstrant: in quo tanta plerumque fit humorum corruptio,*

ut totus in rabiem agatur, quæ veneni soboles est. Atque tam Scenam ipsam Sc omnes illius humores venenatos haberi, argumento est, quod ejus sputum humanum corpus attingens rabiem excitet. His persuasum vobis esse debet, in nobis similiter corruptionem quandam sponte gigni posse, quæ non modo veneni vires æquet, sed Sc ipsa tota venenum sit. Verum falsam hanc opinionem, cum pridem refutatam dederunt Celeberrimi Medici, ac ex antiquioribus quidem vel PAVLVM PEREDAM in *Method. Medend. Lib. II. Cap. II.* adducere sufficet, quippe qui triplici usus est argumento ad refellendam jam adductam opinionem. Hinc facile cum sanioribus in hac sententia falsa & petitiones principiorum sapiente refutanda desistere possumus, quippe quorum diligentia id jam pro certo habetur, quod hic non simiola malignitatis vel veneni ægros jugulet, ut recte asserit Celeb. GEORG. BAGLIVUS *Praxeos Med. Lib. I. p. m. 51.* cum malignitas febrium non oriatur ex veneno, sed inflammatione viscerum interiorum, ac sæpissime per medicationem inconvenientem & constitutioni adversam, inflammatio illa interna causatur, symptomataque excitantur, imo mors ipsa acceleratur, uti id judiciose monuit, supra laudatus SYDENHAMVS l. c. *Sect. II. Cap. II. p. m. 128. sequ.* Atque hæc eo clariora redduntur, dum accuratius quis perpendat, causas febrium antegressas, eaque omnia observet, quæ & ægrotantibus eveniunt, & in defunctis deprehenduntur; his enim pensitatis necesse est fateatur, istis in febribus sanguinem ad dissolutionem putridam atque acrimoniam alcalinam oleosam volatilem contendere, quemadmodum optima ratione advertit Celeb. HERMANNVS BOERHAAVE in *Aph. de Cognosc. Sc Curand. Morb. Aph. 86. p. m. 22.* atque cum eodem Doctissimo Authore, prolixius evincit Nob. Dom. a BERGER in *Diss. I. de Acido Insonte §. XII. p. 23. sequ.* videlicet: quod illa concitatore, ac sæpe incitatisima sanguinis commotione, cum aucta resistantia ad vasa, auctoque adeo tritu partium sanguinis ad vasa illa, acrimonia alia, sive is in orbem rapiatur, sive alicubi hæreat, quam jam adducta, emergere haud possit. Atque hoc laudati celeberrimi Duum viri, comprobant, ex nausea & cibi fastidio, siti vehemente, ructu nidoroso, amarore oris putido, ac  
putridis

putridis excretionibus, præsertim urinæ, purpureis item exanthematibus cutis, ac cadaveroso decumbentium foetore, atque obvia in defunctis gangræna & sphacelo. Utque adeo ex dictis patet vanos illos esse, qui in febribus nescio quam venenositatem accusant, ac effectus perniciosos remediorum, horribili malignitatis nomine tegunt ac velant. Ex hac itaque falsa opinione, originem quoque sumpsit & illa sententia, qua statuerunt, terras sigillatas ac bolos præsertimque orientales, quum venenis resistere, ac contra morsus viperarum deleterios esse credantur, ob virtutem illam alexicacam & febribus malignis opitulari debere, uti id quoque testatur *HOECHSTETTERVS Obs. Medic. Dec. V. Casu IX. schol. p. m. 643.* In hoc autem conspectario practico, cum non modo falsa hypothesis pro fundamento posita, sed & insuper petitio principii committatur, hinc etiam ut legitime deductum ac verum, nullus sano iudicio præditus admittere potest. Falsam autem esse hypothesin, quod febres malignæ a venenosa sanguinis qualitate oriantur, ex dictis constat: Accedit, quod non conveniunt auctores Medici in eo, quod venenis terræ sigillatæ ac boli resistant, in specie vero num contra morsus viperarum certum effectum, eumque semper præstent? uti ex statim dicendis luculenter satis apparebit, quin potius illud, quivis a præiudicio liber, statui debere, consentiet, quod, quicquid in febribus præstare terræ nostræ observentur, illud moderando humorum commotionem nimiam, temperando eorum acrimoniam, conservando erasin sanguinis, & roborando villas partium, omnino effectuant.

§. LXII.

Sic igitur in Parnasso literario quotidie evenire videas, quod proverbium vetus & verum satis superque innuit sequens: *Multitudo errantium meritori parit patrocinium.* Non enim intendunt Philosophiæ naturalis ac artis salutaris Professores, in sententiarum ac opinionum semel stabilitarum atque receptarum in suis scholis, certitudinem inquirere, sed contenti sunt communi vel saltem præcipuorum eruditorum consensu, non perpendentes, vera ne an falsa eadem sint: Unde etiam aliter fieri haud poterit, dum opinionum comenta, sine prægressa inquisitione scrutamur, quam quod ex his incertis & falsa deducamus conspectaria; qua-

re dum has consequentias rursus stabilire intendimus, rursus ad alia delabamur, ita, ut opinionum illa commenta semel recepta, aliis figmentis & incertis suppositis, comprobare nitamur. Atque hic mos uti vere inter causas malorum nostrorum ponitur, a *SENECA* in *Epist.* 123. p. m. 885. inquit: *Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur.* Ut revera nihil aliud ex eodem expectare possimus, quam farraginem falsissimarum deductionum, atque indefinitum numerum comentorum fictorum, cerebrinis figmentis comprobatorum. At qualis utilitas ex tali Philosophia in scientiam naturalem æque ac artem salutarem redundet, pridem cum lachrimis Celeberrimi quique Viri fufe satis exposuerunt, afferentes, plus damni his hypothesibus causari, quam ut emolumentum aliquod ab illis in scientias & artes redundaret, imo, quod majus est, nec sine dolore justo dici potest, remorantur scientiæ & artes, ne ad fastigium certitudinis pervenirent. Hujus rei habemus quoque luculentissimum exemplum, in opinione s. præcedenti adducta: Non enim sufficiebat illis, hypothesin venenosæ malignitatis pro causa febrium continuarum malignarum moraliter sic dictarum, supponere, sed dum rationem operationis, terrarum medicatarum investigare intendebant, non sufficiebat ipsis ratio, a textura corporum earundem atque morbi genio deducta, verum & occultam nescio quam vim illis adscribere haud erubescabant. Patet hoc ex verbis *JAC. JOSEPH. JOERSERII*, quæ exhibet in *Manu duct. ad vitam longiorem Part. II. Cap. X. p. m. 335.* sequentibus: *Non minus in venenatæ qualitatis præservatione exerunt virtutes hulus Armena, & terra sigillata: quia exsiccando, adstringendo humorum putredini resistunt, atque occulta potentia venenatæ qualitatis generationem impediunt.* At nec hæc occulta vis sufficit, sed & fallax experientia in subsidium vocari debet, qua constare asserunt, terras prævatas non modo morsui viperarum opitulari, sed aliis venenis resistere, unde cum eadem virtute sunt præditæ, necessario quoque in morbis a venenosa qualitate ortum trahentibus, optimam medelam dare, audaciter satis ac frivole statuunt, uti id testimonio *HOECHSTETTERI* in præcedentibus confirmatum est. Ex his assertis autem quis non videt, dictos auctores, hypo-

hypothesēs fictas hypothesibus similibus comprobare, ac experientia somniata confirmare; sed sic ne decet Antiflute artis salutaris, effectus remediorum exponere, ac causas morborum proximas in corpore latentes scrutare? aliud profecto consilium nobis reliquit in exploratione effectuum, quos præstare remedia in specie simplicia solent, in corporis animalis œconomia, *Celeb. ille trium Imperatorum Archiater CRATO in Comment. de vera præcavendi & curandi febrem pestilentem contagiosam ratione Part. I. p. m. 533. sequ. dum inquit: Medici experimentis facultates talium simplicium explorent, nec circumforaneis illis chartis multum fidant. Id quod & SENNERTUS in Epit. Scient. Nat. Lib. V. Cap. I. p. m. 351. præcipit esse observandum, ajens: Præstat terrarum vires potius generi, quam loco adscribere, & quamque ex sua natura æstimare, terrarumque vires experimentis probare.* Quare cum saniora edoctus hæctenus sum, ex merito hæc commenta suis relinquo auctoribus, ac unice in id omnibus viribus intendo, quo virtutes terrarum Tockayensium cum ipsa experientia convenientes, palam sine fuce exponerem, sectando regiam illam viam quam *ISOCRATES in Orat. ad Nicolem* Regibus observandam commendavit, dum inquit: *Quod accurate scire vis eorum, quæ scire convenit Reges, dico & Philosophos & Medicos præcipue, experientia aggredere & philosophia. Nam Philosophia vias tibi monstrabit, sed in ipsis operibus exerceri, posse te uti rebus, faciet.* Hoc autem dum facio, Lectoris in gratiam, id quoque mihi incumbere sentio, ut, prout hæctenus jam cœptum est, falsæ assignatæ virtutes terrarum nostrarum Tockayensium, a veris discernerentur, illæque ulterius & investigarentur & comprobarentur, hæc vero e foro & usu Medico relegarentur. Qui conatus meus ingenuus, uti omnibus æquis rerum æstimatoribus haud displicebit, sic quoque nec exigua utilitas in artem Medicam & ægrotos redundabit.

§. LXIII.

Hæctenus fusius paulo exposita uti sua radiant luce, sic quoque & illa quæ nunc tradentur, magis dictorum veritatem confirmabunt. Superius §. LXI. dictum est, hypothesin de venenosa qualitate in febribus continuis præsertimque exanthematicis anteam dedisse Medicis, ut terras sic dictas sigillatas ac bolos orientales

tales præcipue, in curatione earundem adhiberent, & quidem ex eo fundamento, quod venenis resistere, ac in specie morsui viperarum opitulari, credantur. Venenosam autem qualitatem in febris continuis tanquam fallam jam rejecimus in antecedentibus, adeoque inquirendum modo maxime erit in suppositum alterum, quo afferunt, terras præfatas venenis omnibus resistere. Ecquidem illud omnino fateri cogor, ne ullum adhuc scriptorem hanc virtutem resistendi venenis, terris nostris medicinalibus Tockayensibus adscripsisse; Verum cum supra adducti auctores, qui mentionem terræ Tockayensis injiciunt, omnes in eo conveniunt, unanimi fere consensu, quod omnes notas veræ boli Armeniæ habeat, atque huic, ut quidem *CRATO l. c.* vult, longe præferendæ sint: Hinc facile quoque confectarium deducere posset, vi dictorum, quod cum bolus Armeniæ & terræ Lemniæ adversus venena admodum laudentur, adeoque cum terra Tockayensis cum bolo potissimum Armeniæ in omnibus conveniat, longeque propter virtutes ejus eximias a *CRATONE* præferatur, terras quoque nostras, eadem si non majore virtute, contra venena gaudere. Hæc uti omnino vi dictorum deduci possent, præcipue cum omnibus constet, *DIOSCORIDEM, GALENUM, FALLOPIUM, SHROEDERUM*, & plurimos alios materiæ medicæ scriptores, in eo omnino esse, quo virtutem boli Armeniæ & terræ Lemniæ, ac etiam Silesiæ figillatæ, & alias terras ab aliis auctoribus contra venena & morsus animalium venenatorum, multis elogiis commendarent. Illum autem maxime præstare effectum dicuntur, ob vim, qua dicuntur pollere vomitum ciendi, uti id præter *GALENUM* (qui hanc virtutem se didicisse ex libello quodam in Lemno reperto) *DIOSCORIDES l. c. Lib. V. Cap. m. LXIII. p. m. 521.* monuit, dum inquit: *Vim antidoti habet contra perniciofa venena singularem, pota cum vino & præsumta evomi venena cogit.* De hac itaque efficacia terrarum medicatarum, ubi, quid sentiam? exponere jam ingredior, merito illud in antecessum mihi concedendum postulo, quod omnis efficacia venenorum cum relatione quadam intelligenda sit, quippe cum certum atque indubitatum sit, venena non modo ratione ortus, sed & ratione applicationis, subjecti in quod ajunt, effectuum quorum causa existunt, activitatis

tatis, essentiaë, modi denique operandi, admodum varia esse, uti id fufius exposuit *Illustr. JOH. HENR. de HEUCHER in Diss.* quæ inscribitur *Mithridates sibiens præservationem Principis a veneno §. XII.* Dantur quoque & venena, quæ non omnibus æque animalibus, vel solum omnibus hominibus venena sunt. Ex quibus uti luculentissime apparet, quod in tanta varietate venenorum nulla dari possit vera veneni definitio, quæ omni veneno sit adæquata; sic quoque & illud facile patet, quod multo difficilius sit, medicinam promere, quæ intra corpus sumpta omnibus æque resistat. Atque hæc verissima esse, facile plurimis exemplis comprobare possem, verum cum præter adductum *Illustr. Dn. de HEUCHER. Cl. CHRIST. VATERVS in Physiol. Experiment. Append. C. I. Quæst. I. II. & III. p. m. 839. sequ.* plurima suppeditet, hinc facile quoque in his enarrandis, prolixitatem majorem evitare volens, superfedere possum. Hæc varietate venenorum considerata, quis tam vefanus quæso existeret, qui universale aliquod antidotum quod omnibus omnino venenis resisteret, vel excogitare saltem, multo minus proponere intenderet aut vellet? Ecquidem refert *VALE- RIVS MAXIMVS in Dكتور factorumque memorabilium exempl. Lib. IX. Cap. II. p. m. 439. sequ.* Mithridatem, Regem illum Ponti potentissimum, veneno sibi mortem haud inferre potuisse, unde facile quis colligere potest, dari omnino tale antidotum universale, quo se homo ab intoxicatione præmuniat, præfertim, cum & authores quidam in ea sint opinione, quod Mithridates amuleto quodam contra venena usus fuerit, & vi hujus amuleti, nihil ipsi venena qualiacunque nocuisse, nec nocere potuisse. Verum enim vero, præterquam quod Historici admodum dissentiant in relatione auxiliorum, quibus id ipsum effectum dedit Mithridates, quippe cum & alii sint, ut habet *M. VAL. MARTIALIS Epigr. Lib. V. Epigr. 78. p. m. 132.* idcirco venenum vitæ vim Mithridati inferre potuisse statuunt, quod is per totam vitam suam venenis adsueverit, dum sic inquit:

*Profuit poto Mithridates sepe veneno,*

*Toxica ne possent seva nocere sibi.*

non secus ac puella illa, quæ ad intoxicandum Alexandrum M. a Poro Indorum Rege missa, quæ venenis nutrita ob id fuerat, ut

Monarcham saliva ac halitibus interficeret. Illud quoque sententiam, de auxilio contra venena universali everit, quod ipse Mithridates spreto Regii fastigii honore, per vastas multarum regionum solitudines iverit, in via montium culmina peragraverit, locos inaccessos perlustraverit, abditas terræ fibras, hiantes vallium specus, perquisiverit perreptaveritque, & ab hominibus subiectis, multa percontatus fuerit, ut omnium medicamentorum simplicium maxime eorum, quæ venenis lethalibus adversantur, exactam notitiam nancisceretur, prout testatur *AVLIUS GELLIVS Noct. Attic. Lib. XVII. Cap. XVI. p. m. 426.* Neque in cognitione unice substitit Rex potentissimus, sed eorum virtutem in facinorosis hominibus ad mortem condemnatis, quoque experiri voluit, sicque diligenti observatione comperit, quæ medicamenta peculiariter phalangiis, quæ scorpionibus, quæ viperis resisterent, quæque contra aconitum, cicutam, leporem marinum, aliaque deleteria venena valerent. Ex dictis enim patet, nec Mithridatem universale antidotum credidisse, nec statuisse, quippe eum cuius veneno peculiare investigare intendebat antidotum. Atque adeo nec hoc Regis Mithridatis exemplum id probet, quod probare omnino debebat. Unde non immerito miratur *Illustr. Dn. do HEUCHER l. c. §. XXXVII.* qua audacia quidam Medicorum, præservans universale adversus venena jactare possint; dum inquit: *Tam infinitam venenorum tota natura discrepantium varietatem, dum repetita vice oculis meis sisto, non possum satis mirari illorum vel audaciam, qui præservans universale jactant, vel credulitatem, qui ejusmodi in rerum universitate inveniri posse, sibi persuadere possunt. Nec sine causa quidem horum conatus demiratur Illustris Vir, uti in sequentibus etiam eandem exhibet solidissimam ac certissimam desumptam, a vario effectu quem venena sumpta in corpore animali præstant, adeoque vere rursus inquit §. XIII. l. c. Neque enim ullum sane mentis hominem existimo fore, qui toto celo distantes venenorum naturas, atque ab his pendentes agendi rationes animo volvens, persuaderi sibi facile patitur, possibilem esse catholici præservantis existentiam. Et quemadmodum medicinam dari universalem, omnes morbos sanantem, ipsæ naturæ legibus repugnat; sic pariter quod ab omni præservaret veneno medicamentum, in eisdem impingeret, illisque*  
*contra-*

*contrarietur est necessarium.* Patet igitur ex dictis, quod venena, uti distinctos diversosque postulant conceptus, sic quoque non unum admittunt servandosque hominis, & a venenis præmuniendi præsidium. Nam diversissimas operationes, pro veneni assumpti varietate, in corpore animali, ab illis excitari eum observemus, nullo modo credimus fieri posse, quod in unius ejusdemque medicamenti viribus positum sit, sive simplex illud fuerit, sive compositum, omnibus pari modo opitulari posse. Atque hæc uti sole meridiano clariora existunt, nec ulteriore indigent comprobatione, sic facile quoque, quid de virtute & efficacia terrarum medicinalium, in specie vero Tokayensium, sentire debeamus, patet. Profecto si dicendum quod res est, parum certe terris nostris in hunc scopum, tribuere possum effectus, nec majores, quas aliæ argillæ, aut vulgo sic dicta alexipharmaca fixa exerunt. Nec video veteres alio scopo, præterquam vomitum evocandi, easdem præscripsisse; audiamus hac de re *FALLOPIVM* l. c. p. m. 397. sic scribentem: *Sed unum dicit Galenus, & est quod terra Lemnia & antidota illa in quibus recipitur, faciunt ad vomitum venenorum, & hanc vim hujus terræ dicit se respirasse, in libello quodam in Lemno reperto, & quod experientia id confirmaret.* Cum hoc etiam consentit *ATHAN. KIRCHERVS* in *Mund. subterr. Lib. VII. Sect. II. Cap. IV. f. 337.* quando terram Lemniam cum vino potam veneno introsumpta vomitione expellere statuit. Adeoque id colligere omnino quivis poterit, non specifica quadam vi, eosdem agere adversus venena eaque obtundere, ac eorum vim enecare, sed more aliorum mediocrium, leniter stomachum ad vomitus irritantium, operari, utque adeo hoc ipso effectu nihil singulare præ aliis in hunc scopum usurpatis jure meritoque habeat, hocque magis quo certius est, omnes terras in aqua solutas id efficere, quemadmodum id modo adductus *FALLOPIVS* quoque testatur. Negari enim id equidem haud potest, quod quotidiana experientia luculentissime ac sæpissime confirmat, omnem curationis cardinem omnino in eo consistere, ut illico evacuante α'νω ηει κα'τω, veneno intoxicatis obveniatur; unde in hunc scopum si terra quoque medicinalis Tokayensis exhibeatur, in aqua præferim soluta, omnino effectus exoptatus hujus terræ haud denegari potest; at quis

quis est, qui illico hinc concludere vellet, quod sit verum antidotum, adversusque venena catholicum; quod uti neminem, qui rem accuratius pensitaverit, affirmaturum spero; sic facile quoque illi, qui negantem tueri vellet sententiam, obviari posset, effectus oleosarum liquidarum massarum, quæ cum eundem & forte, (experientia propria innixus loquor) meliorem tutioremque edit, hinc etiam eodem jure, si non meliori, inter antidota venenorum referendæ essent, præsertim cum videam, Medicos clinicos, in similibus casibus ad hæc auxilia tanquam ad sacras confugere anchoras. Hoc autem cum nullus Medicorum hæctenus facere attentaverit, hinc quoque audaciter admodum, illi mihi agere videntur, qui terras medicinales in catalogum antidotorum cum *H. a BRA* referunt. Quare merito exulent illa universalia antidota, quippe vere intentioni Medicis admodum contraria, cum tota die observationes obviæ sint, quæ evidenter satis demonstrant, (quorum catalogum hic enumerare haud est animus) sæpissime sub usu talium antidotorum, ægrum symptomatibus crudeliter satis vexatum mori, qui alias, usu laudatorum oleosorum auxiliorum adhuc conservari potuisset. Ut autem rei huic ex toto satisfiat, quæso, nonne omnis intentio Medici in similibus casibus unice illuc dirigi debet, qua ore exceptum venenum per evacuantia maximam partem eliminentur, vel per inviscentia involvantur, vel in obsorbentium poris abscondantur, sique in humorum penetrarint massam, per sudores atque urinam expellantur, ne illam subire non valeant? Adeoque prius penitus pensitandum venit, num terræ medicinales ac in species Tockayenses his intentionibus satisfaciant; quod si illis undiquaque satisfacere semper, omni veneno & constanter videbuntur, tunc demum antidoti catholici catalogo inferimerebuntur. Verum cum experientia secundos illos eventus haud confirmet, unde nec antidoti titulus, præsertim vero universalis, illis attribui potest. Quippe cum experientia testetur, illas non nisi in sensibilibus subjectis, si more antiquorum in aqua solvantur, vomitus excitare. Nec unguinositas earum tanta existit, ut venenorum partes involverentur, vel ut alii volunt, incrustarentur: Vis autem absorbens quoque tanta non existit, ut sine discrimine omnium venenorum

norum partes, intra pororum cavitates abscondant. Multo autem minor existit eorum vis sudorifica, quippe quæ debilis admodum est, & a vulgaribus præparatis utpote. C. C. unicornu vero, cornu alci aliisque superatur, unde vel hoc ipso, effectus per sudorem desideratus, intentioni exhibentis haud respondebit. Diureticam autem earundem virtutem cum hæctenus haud sumus experti, ut illis adscriberem, multum dubito, quin potius id mihi persuadeo, eandem esse tantum secundariam, quæ non nisi ex constitutione humorum dijudicari potest. Unde si quid adhuc potestatis adversus venena habeant, non nisi quibusdam venenis vincendis atque domandis idonea mihi, cum *Illustr. Du. de HEUCHER l. c. §. XIV.* esse videatur, unde nec quidquam præ multis aliis præstare posse, statuo.

## §. LXIV.

Ecquidem si characteribus faverem, forte ab eisdem terris medicinalibus impressos, aliquid virtutis adversus venena illis inesse statuere deberem, præsertim si hypothesein *JACOBI GAFFARELLI in Curiositatibus inauditis Cap. V. §. VI. p. m. 90. sequ.* meam facerem, qui asserit, naturam nihil frustra in rerum natura produxisse, hinc etiam concludit, quod nec figuræ in lapidibus & aliis rebus expressæ, gratis sint exculpæ, sed ob certum finem, videlicet efficaciam exerendam, in illis potissimum corporibus, quæ cum signo figuræ aliquam convenientiam habent. Ad quod credendum eo magis excitari deberem, quo magis ab exemplis plurimis a suis authoribus descriptis, video confirmari. Sic refert *CARDANVS Lib. VII. de subtil. p. m. 358.* lapidem quendam, qui serpentis figura naturaliter erat signatus, atque Albertum M. possessorem agnovit, in locum serpentibus infestum positum, omnes ex circumjacentibus locis, illico allicivisse. Contrarium de ophite, marmoris specie, tradit *PLINIUS l. c. Lib. XXXVI. Cap. VII. p. m. 503.* quæ, uti a maculis serpentum similibus, nomen, sic quoque efficaciam, adversus serpentum ictus sive morsus accepit. Verum cum efficacia illa figurarum imo etiam literarum, quam defendit *HENRIC. CORN. AGRIPPA de Occult. Philosophia Lib. I. C. LXXIV.* admodum falsa sit, ut mihi longe idcirco ineptiores videantur ejus assertores, quam *OSVALDVS CROLLIUS*, (quippe qui in *Tr. de signaturis internis rerum* sanandi facultatem nunquam herbarum figuris adjudicavit, sed herbis; figuras autem pro signis tantum habuit, quo

intelligerentur herbæ & lapides, quibus morbis depellendis, ordinaverit Conditor summus.) Nam in terris non respicitur figura naturalis, sed quem artis filii impresserunt. Atque ab horum vana & superstitiosa opinione pervellem ut abiisset, vel ad minimum tantum non favisset, *Cl. JOH. NICOL. MARTIVS de Magia Natural. ejusque usu Medico ad magicæ & magicæ curandum. Cap. III. §. III. & IV. p. m. 47. seq.* quoniam literæ, imagines, characteres & verba ac ceremoniæ quæcunque, sunt quantitates per se inefficaces, inter quæ & morbos nulla proportio, nullus contactus & operatio naturalis, fieri potest. Et licet interdum effectus, seu morborum curatio, ab his sequatur, (his enim maxime confident, ac ad illas provocant) ille tamen non characteribus & verbis istis, sed potius phantasiæ & affectibus ægrotantium, nec non tempori, loco, aliisque circumstantiis intervenientibus, aut etiam dæmonis auxilio attribuendus venit, ut recte *VALESIVS Lib. de Sacra Philosophia Cap. III. p. m. 58. & 69.* ac *PHIL. JAC. SACHS. a LEWENHEIMB. in Gammarolog. Sect. II. Cap. IX. §. VI. p. 868. sequ.* exposuerunt. Imo ipsi etiam characterum patroni admodum incerti sunt, num effectus ille, quem tantopere deprædicare solent, ab ipsa figura, aut occulta ejus qualitate, aut ipso corpore, quæ figuram illam repræsentat, vel astrorum influentiis, deducendus sit? unde vel ex hoc authorum dissensu, incertitudinem rei satis superque quivis videre potest. Adeoque cum falsæ & superstitiosa sit characterum, figurarum ac literarum virtus medica, nec his signatis terris aliquam efficaciam adscribi posse, facile patet, præsertim cum experientia quotidiana nobis quoque referat, quod terræ signo serpentum insignitæ, nullum tamen præstiterint effectum, adversus morsus serpentum, id quod potissimum terræ Melitenses sive S. Pauli, satis superque comprobant, ut id fuscè satis exponit *laudatus supra KUNDMANNVS in Annal. Med. Phys. Wratisl. An. 1722. Mens. Jun. Class. IV. Artic. V. p. 598. sequ.* Adeoque quid de nostris terris Tockayensibus dicendum statuendumque sit, facile patet, quippe quæ, cum nullis characteribus superstitiosis superbiant, hinc quoque & efficacia talis, nullo modo ab his sperari potest. Ecquidem haud ignotum mihi est, dari terras, quæ omnino serpentibus admodum contrariæ sunt, imo illos enecant, quemadmodum te terra insulæ Nansio, olim Anophe dictæ, constat, quippe quæ aliorum etiam transportata, & serpentibus aspersa, eos enecat, & quæ-

vis reptilia & venenosa intra circulum, ex hac terra formatum, posita, exspirare subito cogit, prout refert *Illustr. HEUCHERUS l. c. §. XIV.* Imo dari etiam insulas & provincias quasdam, in quibus nulla reperiuntur viventia venenata, in specie vero serpentes, multis exemplis comprobatur *Celeb. JOH. KANOLDVS Annal. Med. Phys. Wratisl. An. 1721. Mens. Novemb. Class. IV. Artic. V. p. m. 488. sequ.* rationemque hujus rei solide exponit. Verum, quis tam vesanæ frontis existeret, qui asseveraret, quod quædam terræ præstant, illud & reliquæ præstare posse? Quod cum nullum sine errore a logicis notato maximo, statuere existimo, sic quoque illud pro inconcussato L. C. ad dijudicandum expono, verè ne efficaciam terrarum Tockayensium adversus venena explicaverim? Adeoque hac stante explicatione & illud elucescet, num revera aliquid præstare possint in morbis venenosis, a veneranda antiquitate falso sic nominatis.

## §. LXV.

Atque ex his quæ hæctenus de efficacia terrarum adversus venena diximus, illud quoque patebit, quod eodem loco etiam sit habendus effectus earundem, quæ adversus philtra ore accepta, exerere edereque creditur. Sic enim *SCHROEDERVS l. c. p. m. 310.* refert axungiam solis, sive terras medicinales solares, adversus philtra maxime profuisse. Ex quo quidem laudati authoris asserto, facile quis quoque applicationem ad nostras terras Tockayenses facere potest, quippè quæ etiam solares esse creduntur, uti ex superius enarratis patet. Verum enim vero, præter quod laudatæ nostræ terræ nihil de natura solari aut auro ipso participant, inquisitorique exhibeant, uti superius fufius demonstratum est, illud quoque insufficientem eorum, adversus philtrorum effectus, vim, satis superque manifestat, quippe cum apud omnes Medicos practicos res sit confecta, quod omnis curatio in tali casu, prout etiam superius in curatione intoxicatorum veneno, monui, illuc vergat, quo per evacuantia ἀΐω καὶ κάρω, accepta philtra, eliminantur, & sudoriferis, si ad massam sanguineam jam penetraverint, per cutis poros expellantur, prout id exponit *Celeb. GEORG. FRANCYS de FRANKENAV in Diss. de Philtris Cap. XI. atque in Act. Acad. Nat. Curios. Vol. I. Obs. CXLIII. p. 307. sequ.* exempla similis curationis tradit. Jam vero hos effectus num terræ medicinales speciatim Tockayenses debite exerant, ex superius dictis facile constare

poterit: Unde prolixior haud esse volo, in declaranda insufficientia earundem, sed cujusvis æqui rerum existimatoris iudicio sano & a præiudiciis libero ad dijudicandum relinquo.

§. LXVI.

Quibus itaque abunde & evidenter satis expositis, jam ad alios effectus properandum est, quos omnino maxime etiam laudare videas practicos Medicos; sic de *CRATONE* refert *SENNERTVS l. c. p. m. 351.* eundem nostram terram Tockayensem adversus catarrhum maxime laudasse, longæque prætulisse bolo Armenæ hodiernæ etiam illi, quæ Imperatori Romanorum suo tempore ex Turcia allata erat. Pervolveram ipse epistolas & consilia Celeberrimi Viri, sed locum hunc invenire haud poteram, in quo laudaret terram nostram prædicto in casu. Illud equidem in plurimis locis deprehendi, eandem bolum Armeniæ, adversus catarrhos maximi facere, in specie vero, ut videre est *Lib. IV. Epist. Med. p. m. 411.* admodum extollit eandem bolum cum sirupo de papavere, in catarrho tenui ex materia salsa in senibus, Ex quo facile conjicere licet, eundem etiam multum æstimare debuisse terram nostram Tockayensem, cum is hanc bolo Armeniæ præferat, uti ex supra dictis satis superque elucescit. Ecquidem nolo contrariari assertioni a tanto viro prolata, quippe cum omnino id fateri quis debet, quod in catarrho ex materia tenui, præmissis præmittendis, optimum exerat effectum, præcipue si cum saccharo rosato rosato, debita proportione, commisceatur. At illud tamen nunquam expectare aliquis potest, quod ex solo usu terræ Tockayensis catarrhus profligari possit. Non enim sufficit inviscare materiam tenuem, cum hæc inviscatio materiæ sæpius adhuc majores noxas inferre potest, quippe cum hac methodo & excretionibus humorum haud promoveantur, in quarum tamen debito & proportionato successu, tota curatio catarrhi consistit. Quare si aliquem usum & effectum terris nostris adscribere quis vult, non alium illum esse existimo, quam quod ex tonum viscerum aliquantisper corroborent, sudoremque leniter proliciant: Verum hæc vis terrarum præfertim diaphoretica, tanta non existit, ut vel ex hac operatione aliquam opem ac consolationem catarrho detenti & afflicti ægri, sentire possint. Illud equidem nemo negabit, quod in catarrho ex sero tenui & acri, præmissis præmittendis, terra nostra æquali proportione cum saccharo peni-

ro penidio exhibita, sique catarrhus fuerit pectoris cum tussi inani & nimia, omnino non contemnendum edant effectum. Quo in casu *JOH. TAILE in Diss. de Tussi §. LVI.* terras pinguiores & bolos commendat. Et *FRANCISCUS DE LE BOE SYLVIVS in Append. Prax. Med. Tr. II. N. CLXXXIX. p. 336.* bolos ac terras sigillatas omnes scopi exsiccandi & consolidandi ulcera pulmonum in phthyfi laudat. Verum quod in hoc casu præstare, in aliis tamen magis nocere videtur. Cum itaque cardo curationis in omni catarrho eo potissimum collimet, ut lymphæ motus & indoles naturalis, restituatur, abundantia ejusdem auferatur, & partibus quæ catarrhus invasit, recte prospiciatur. Illico apparet, num terra nostra sola his indicationibus satisfaciat, ita, ut eadem sola finem exoptatum, videlicet ægri restitutionem, consequi Medicus queat, præsertim cum accuratius pensitemus, adstringente vi terrarum tonum fibrarum corroborari, sed hæc ipsa etiam sapisime secretiones & excretiones humorum impediri, imo suspendi; unde vel hoc ipso earum usus admodum suspectus est, nisi diaphoreticis aliis jungantur terræ, quo excretio peripherica, per cutis poros, magis magisque promoveatur, atque adeo lymphæ abundantia auferatur, motusque conveniens restituatur. Ad quam feri excretionem promovendam, omnes etiam cautelæ Diæticæ Medicorum clinicorum vergant, ita, ut omnes omnino, unice hujus promotionem respiciant. At illud cum hoc magis infidum terrarum nostrarum reddit usum, quod catarrhi etiam pro ratione partium diversarum, curationem postulent, ita, ut cum diaphoresi leni & alia excretionem humorum seroforum particularum promoventia, requirantur medicamina, e.g. in doloribus dentium &c. Unde si quis sola terra Tockayensi, omnes omnino affectus catarrhosos debellare voluerit, inanem & ridiculam operam revera susciperet. Quare uti semper sic quoque & hic Medicus accurate circumstantias pensitare debet, ut certo ipsi constet, quid agendum omittendumve, ne nocere magis quam prodesse in restitutione per media quacunque sanitatis videatur. Quare dum animus haud existit, ad particularia descendere cujusvis clinici, judicio sano potius eadem præmitto; hic enim, pensitatis causis & symptomatibus morbosis, illico conjiciat, quo casu aliquam præstare operam terræ nostræ possint.

## §. LXXVII.

Est tamen singularis terrarum nostrarum usus, etiam respectu virtutis adstringentiæ, quam in affectionibus catarrhosis sæpe abesse dixi, in fluxu alvi simplici diarrhæa, imo ipsa etiam dysenteria. Verum & hæc virtus cum iudicio Medici clinici indiget in applicatione, hinc caute etiam in prædictis affectibus adhiberi & in usum duci terræ dictæ debent. Probe enim distinguendus est alvi fluxus simpliciter sic dictus symptomaticus a critico, quippe cum hic ad salutem tendat, adeoque promovendus sit; Ille vero, ob virium subitam lassitudinem & lapsum, cum instans summum periculum inferre potest, hinc præmissis, colluviem humorum p. n. ex intestinorum canali, leniter educantibus, omnino adstringentibus sistendus est. Hoc modo etiam procedendum est Medico in diarrhæis & dysenteriis, quamvis cautius in his adstringentibus uti debent, quippe, quæ sæpissime plus noxæ, quam emolumentum causarunt, nec raro plus præstiterint diaphoretica fixa, quæ leviter saltem adstringunt. Sub initium autem curationis in prædictis casibus, ab adstringentibus abstinere recte jubet *Celeb. BAGLIVVS* l. c. p. m. 108. inquit: *Curationem diarrhææ non incipias per adstringentia, nam introduces viscerum & intestinorum obstructions difficile solubiles, quibus tandem succedit hydrops pertinax.* Et p. 109. etiam in dysenteria ab adstringentibus abstinere præcipit, ex consilio *CRATONIS* l. c. Lib. V. Consf. 22. p. m. 144. dum ait: *In principio non adhibe adstringentia, & ex Cratonis præcepto ante septimum diem.* Atque his similia quoque exponit monita *PAVL. GÖTTER. SPERLINGIUS* in *Diss. de Dysenteria* Th. III. p. 22. quippe, qui a solis adstringentibus sibi relictis, cavere sibi Medicum, imprimis in principio mali dysenterici, debere monet, quia intempestive suppressa dysenteria, parsin quandoque excitat, & inflammationes ac abscessus mesenterii inducit. Atque hoc comprobatur etiam Vir ille quadragenarius apud *HEINR. HEINRICI* in *Diss. de sinistro morbi eventu* §. IX. p. 20. sequi. cui ex usu adstringentibus & opiatorum diarrhæa quidem imminuebatur, ac tormina abdominis mitigabantur, sed loco horum molestus singultus ad tres dies durans, subsequēbatur, qui ægrotum valde defangabat, omnibus viribus consumptis, somnoque defraudato equidem conquievit per intervalla ad dimidium horæ, singultus quoque sistebatur ad tempus, assumptione infusi thee, & re-

medio-

mediorum antispasmodicorum, mox autem revertebatur, & quandoque ad quadrantem horæ, interdum etiam per integram, continuabat, omnibus remediis incassum adhibitis. Atque hi potissimum sinistri eventus, omnino cautius procedere cum mediis adstringentibus Medicos admonent, at eos nec illico ad hæc auxilia recurrere licebit, more illorum, qui *ERASISTRATI* dogmata sectantur, quippe qui medicamentis constrictivis, sive adstringentibus morbum dysentericum jugulare, atque depellere satagunt, teste *CAELIO AVRELIANO* *Morb. Chronic. Lib. IV. Cap. VI. p. m. 527.* Cautiorem & circumspectum usum medicamentorum adstringentium, ac in specie terrarum nostrarum, uti nullo modo rejicio, sic quoque eundem commendo, eoque magis, quo certius existit, quod præmissis præmittendis, terræ nostræ, præsertim si cum aliis diaphoreticis jungantur, optimum edant effectum, dum leniter adstringendo tonum intestinorum corroborant, ac sudorem provocent, sicque affluxum per apices arteriarum intestinalium impediunt, ac alio, videlicet ad peripheriam cutis, derivant. In hoc itaque cum curationis cardo consistat, uti id fufius deduxit *TH. WILLIS* in *Pharmac. Rat. Part. I. Sect. III. Cap. III. p. m. 72. sequ.* merito etiam terrarum nostrarum, cum conjugio diaphoreticorum aliorum, effectus laudari imo commendari potest, præsertim cum ille effectus semper experientiæ respondet, & insimul terræ nostræ cum vi adstrictoria, & diaphoretica, & temperante gaudent præditæque sunt, quæ omnino etiam in dysenteria ut plurimum requiruntur. Atque hoc dum undiquaque tutus assero, nullo modo illico adduci possum, quo terras nostras in classem medicamentorum præcipitantium ac dulcificantium referrem, quemadmodum fecit *Cl. J. V. STVS GOTTFR. PETERMANVS* in *Diss. de dysentria §. XXIX. p. 19.* qui terras sigillatas in horum classem collocavit, quippe cum hoc asserunt petitionem sapiat principii, uti id quivis colligere poterit ex *laudati viri §. XXVII. p. 18. Indicatione I.* atque *Illustr. F. G. Nob. Dom. a BEBGER* in *Diss. I. de Acido In fonte §. IX. p. 18. sequ.* Solidissimis rationibus ac experimentis certissimis, hanc earum vim copiose satis profligavit.

§. LXIIX.

Eodem loco habenda quoque est curatio hæmorrhagarum per adstringentia, in specie vero per terras nostras aliasque medicinales.

Probæ

Probæ enim observanda hæmorrhagiæ, num illæ critica, consuetæ & moderatæ, vel vero symptomaticæ nimixque sint, uti optime monuit *Celeb. STÄHLIUS* in *Diss. de Erroribus Medicinæ Practicæ* Cap. II. p. 9. sq. & Cap. IV. p. 22. sq. Illæ enim uti sedari sine instante noxa haud possunt, sic hæ quoque non nudis adstringentibus suppressi possunt, quippe quæ dum tonum vasorum corroborant, sæpissime adhuc eadem adaugent. Hæc videns idem *Illustr. Vir* p. 23. cum dolore maximo fert, quod experientia veterum nulla alia solemnis methodus innotuerit, varias sanguinis profusiones refranandi, quam per nuda adstringentia. Tandem vero de recentiorum methodo asdem sistendi sequentem in modum scribit, inquiens: *Poterant profecto recentiores ex inventa circulatione sanguinis melius agnoscere, quod a magna & repentina profusione hujus, vie & viscera facile conniveant; imo si tonum illorum vel e crassis exemplis agnoscere, vel jam a tribus lustris, etiam ad talium, qui hodieque nondum recte assequuntur, nauseam, inculcatum, spectare voluissent, subducto ita temere sanguine, meatus sufficienter constricti ardentur: tanto magis rationaliter poterant cogitare, quod stimuli ad constrictionem adhuc majorem, tanta plus incommodorum post sese trahere possent. Sed maluerunt antiquissimam quidem veniam recantare, quod amissis cum copioso sanguine spiritibus, vividus color ad generationem novi balsamici sanguinis deficiat; partes vero imprimis extreme seu superficiales, deficiente pariter spirituum presidio, sive ut loquuntur elatere, torpeant atque staccescant: unde quidem generetur sanguis rapidus & aqueus viscidus, quam sulphureus balsamicus spirituosus &c. qui in his spiritibus orbis partes irrumperens, tumores a stas producat, Quibus sic stantibus facile patet, quantum utilitatis commodique adferri possunt terræ nostræ, in hæmorrhagiis variis, utque his solis negotium exoptato cum successu haud absolvi queat, quin potius si audiamus laudatum modo *Doctissimum Medicum*, quod ex harum aliorumque adstringentium usu, ad plurima mala corpus nostrum disponatur, imo obnoxium reddatur mille incommodis & ægritudinibus, ita, ut mille mala vel solam hæmorrhagiam narium intempestive suppressam, consequi soleant, utpote cephalalgia, odontalgia, otalgia, ophtalmia, aurium tinnitus, vertiginosæ capitis perturbationes satis molestæ, memoriæ debilitas, enervatio judicii & ingenii, oppletiones capitis transitorie & recurrentes, rheumatismi, tumores in capite, & circa illius regionem*

nem varix efflorescentiæ capitis, imo successu temporis cum incremento ætatis, hanc suppressionem insequitur phthisis, asthma, dyspnœa &c. prout testatur id quotidiana experientia informatus *Celeb. HEINRICII. c. p. 21.* Ut taceam aliarum hæmorrhagiarum suppressarum inconvenientes successus, quos enarravit fuscè satis *laudatus ante STAHLIUS l. c. ac JUSTVS VESTI in Diss. de Inepta curatione multorum morborum causa §. X.* Hæc uti certa sunt, sic etiam evidens satis existit vis adstrictoria terrarum nostrarum, quam adhuc magis confirmant hæmorrhagiæ vulnerum, ad quam cohibendam nihil melius quam terræ nostræ externe & interne adhibentur. Hic enim a præsentissima cohibitione fluxus sanguinis ex vulneribus, nihil mali metuendum, quin potius omnia bona speranda eveniunt, uti id etiam confirmat *Cl. GEORG. DETHARDINGIUS in Scrutinio Operationis Medicamentorum fluxus impediendum Cap. I. §. XIV. p. 6.* Internum autem usum pro sistendo sanguinis fluxu terrarum nostrarum ut cautum omnino esse debere fateor, sed quoque quivis Medicorum facile colliget, consideratis omnibus probe circumstantiis, & subjectorum ac hæmorrhagiarum diversitate, quo tempore adhiberi commode possint, sine metu insequentis alicujus inexpectati successus. Hæc uti iudicio cujusvis Medici relinquo, sic illud quoque celare haud possum, quod eadem terræ interne exhibitæ, in hæmorrhagiis illis, quæ citissimam cohibitionem fluxus postularunt, plus præstiterint, quam alia adstringentia & ligaturæ. Nam non solum adstringendo agunt, sed & æstum ac motum humorum temperando. Externe quoque easdem adhibere soleo, permixtas aceto vini destillato, quæ mixtura candenti ferro affunditur, ut vapor ad partem affectam penetrare possit.

## §. LXIX.

Plures omnino casus adferre possem, in quibus terræ nostræ aliquid incommodi præstant. Verum cum instituti ratio id haud permittit, hinc eo lubentius his enarrandis supersedeo, quo certius existit, quod cognitivis viribus generalibus terrarum nostrarum, facile fieri possit applicatio ad status quosdam particulares. Ex dictis autem superius satis superque constare potest omni æquo rerum existimatori, quod omnis vis terrarum nostrarum in eo consistat uti est in omnibus terreis pinguibus & quasi oleosis ac quibusdam metallis præsertim martialibus, prout superius expositum, ut humorum orga-

fmus & acrimonia temperetur, eorumque turbata mixtio corrigatur, & laxior fibrarum tonus roboretur. Hinc recte commendantur in fluxibus omnis generis, & in febribus quibusvis continuis, ac speciatim sic dictis vulgo malignis, variolis, morbillis, purpura, urticatione & plurimis aliis affectibus. Viribus itaque terrarum cognitis Medicis pragmaticis ad dijudicandum ultro relinquo, quo casu, quibus circumstantiis, quo tempore ac qua methodo, in affectionibus præternaturalibus corporis animalis exhiberi possunt, optime sciens atque perpendens, quod canit *OVIDIVS de Remed. Amor. Lib. I.*

*Temporibus medicina valet, data tempore profunt,*

*Et data non apto tempore multa nocent.*

Ille enim impossibilia mihi tentare videtur, qui unius simplicis medicamenti virtutes ita omnibus casibus adaptare in descriptione sua vellet, ut omnino semper, constanter & in omni omnino casu, conveniret, uti mos perversus est quibusdam materiæ medicæ scriptoribus; quippe cum apud omnes Medicos clinicos indubitatum existit, quod applicatio auxiliiorum Medicorum variari soleat, pro subiecti, morbi & causarum antecedentium varietate. Unde vel hoc ipso veniam a Cl. L. sum impetraturus, quod singulos casus specialiter adducere, inanem laborem esse censuerim, eoque magis in eo confido, quo certius mihi constat, Medicos clinicos facili negotio, adhibito solum iudicio, ex lege indicationum deductarum, illico colligere posse, quid in hoc illove casu morbofo, ab harum terrarum virtute sperare liceat. Ut de virtute terrarum nostrarum emplastica nihil dicam, quippe quam cum aliarum regionum terris æqualem, si non majorem possideant, adeoque optime quoque in illarum locum substitui possunt.

§. LXX.

Illud autem lubens & ultro fateor, nostram terram paucis adhuc Medicis cognitam fuisse, non tam quoad cognitionem externam, quam usum Medicum: Unde etiam est, quod hæcenus nulla composita ingrediatur medicamenta. Adeoque nemo credo vitio mihi vertet, si illud assertionem meam asseverare intendo, quod omnino pro voluntate cujusvis medicamenti compositis, in locum boli Armeniæ, terræ Lemniæ, sigillatæ Silesticæ &c. substitui commode possit, eoque magis quo certius existit, quod nostræ hæc terræ, uti superius asserui, his palmam si haud præripiant, tamen illis minime cedunt, prout id

eiam

iam sententia sua approbavit, *Celeb. dum viveret CRATO l. c.* Atque has terras cum & in officinas nostras pharmaceuticas Keismarkienfes introduxerim, nemo credo vitio mihi vertet, præsertim cum sciam, illam multitudinem terrarum medicinalium hæcenus cognitarum, non tam confusiores facere Medicos clinicos, quam plane inconstantes ita, ut revera ignorent, quam præ ceteris ad usus suos recipere deberent. Illud autem iudicio de pharmacia optime meriti *LVDOVICI l. c. Diff. I. p. m. 254. sequ.* constat, nihil referre, qualemcunque ex terris medicinalibus in suos usus quis Medicorum sumat, sufficit, eundem talem feligere, quæ optimæ notæ existit. Quod iudicium acutissimi Medici, perplacet his verbis ejus adnotare, sic enim inquit: *Si enim primo quispiam e terrarum margarum confiniumque (hucusque cum tractorum) generibus, unicam saltem, non quidem præcise tantum Silesiacam, Strigoniensem (quamvis præ reliquis hæcenus usitatiorẽ) sed & aliam quandam (ceu varie num in Germania usitate sunt) selectiorem pinguem, in primis rubram, & non tam annulo, quam continuata experientia sufficenter sonatam, nec de prædatoria lotionẽ exhaustam habuerit; causam non videmus, cur alias in super e Turcia, vel (si credimus) e Lemno placentulas (sæpe suspectas) aut bolum vel e media nonnunquam Germania Armenum, (dum alias tot epicerastica atque fistentia gummea, opiata, martialia, corallina &c. præ manibus sunt) vel denique e Maltha minores (cum S. Pauli) aut majores (cum Eremitæ signo) pastillos S. Pauli baculos & vipera vel vermiformes massas (raritatibus aptiores) Samiam ac reliquas terrarum citreæ albo, flaventeve colore variantium exoticas species exigere necessum habeat.* Cui effato Celeberrimi Viri, uti quisvis a præjudiciis liber, subscribit, sic hoc quoque ipso minime censeam eorum mores, qui nimis rigore se species terrarum medicinalium exposcunt, atque in his quibusvis peculiarem aliquam si non specificam virtutem quaerunt, uti id ex superius expositis satis superque elucescit, sufficere, si doctorum hac in re merebor consensum, qui non tam occultas qualitates, nulli cognitæ, proponunt, quam revera has derident, ac ea feruntantur, quæ certum aliquem effectum produnt; In hoc igitur consensu confidens, ea quoque magis mihi familiaria in usu Medico facio, quæ & patrium profert solum, nec aliquo ab exteris expectari debent; secutus ea in re *JOH. BEVEROVICIVM*, qui pro Battavis suis & *THOM. BARTHOLINVM*, qui pro Danis medicinam domesticam literarum

monumentis consignarunt, præcipue, ut inquit Germanorum Chiro-  
 GVILH. FABRICIVS a patria dictus HILDANVS, in *Obs. Chirurg. Cent.*  
 II. *Obs. 94.* Plane existimo, in unaquaque regione, si quis diligenter pro-  
 prietates, virtutes atque præparaciones simplicium inquirere vellet, facile  
 ea omnia, quæ ad sanitatem conservandam, & morbos depellendos necessa-  
 ria, inveniri posse. Unaquæque enim Regio, quod sibi ipsi necessari-  
 um est, exhibet, suis quibusvis terris & regionibus, suæ genti, suo cli-  
 mati, suo cælo, suo seculo, natura herbas, aliaque producit, ut non  
 immerito indendi sunt illi, qui quod domi habent, foris quærunt, ut  
 nihil fere in pretio habeatur ab illis, quod non exoticum esse creda-  
 tur. Unde recte monet ATHAN. KIRCHERVS de *Nat. Magn. Lib. III.*  
*Part. 7.* inquires: Non opus est vere Medico huc atque illuc oculos ad diver-  
 sa circumflectere, sed instar pudicæ virginis in terram habere defixos, in  
 hac enim sub pedibus longe plus virium opumque in hoc thesauro naturæ,  
 quam India, Ægyptus, Barbaria, Græciaque ferant, inveniet. Atque hoc  
 etiam comprobatur exemplo Ægyptorum, qui non Indicarum, non Af-  
 syriarum, non Europicarum plantarum, sed quæ proprio solo natæ &  
 educatæ fuissent, proprietates scrutabantur, quippe cum magnam  
 vim collocaverint in climatum dispositionem; cum enim a benigna  
 liberalitate naturæ, temperamentum, quo ipsi constabant, fortiti es-  
 sent, præter eas non curabant, imo eas veluti degeneris indolis asper-  
 nabantur, quod & in animalibus lapidibusque usu venit. Hæc uti ve-  
 rissima sunt, sic negligitur ejusdem certitudo, & nescio unde certiora  
 conquirere volunt, quos curiositas nimia atque amor rerum exoticarum  
 obsedit, consuetudoque abduxit. Verum, eheu! adhuc dum

tenet ambitiosi

Consuetudo mali, tenet insanabile multos

Medendi

cacoëthes, & egro in corde senescit.

ut D. JUVENVS JUVENALIS *Sat. VII. v. 50. sequ. p. m. 67.* verba hoc sen-

su mihi transsumam. Utque adeo nihil mirari quis debeat, PLINIVM

de hoc jam suo tempore esse ita conquestum, l. c. *Lib. XXIV. Cap. I. p. m.*

350. inquires: Hinc nata medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse reme-

dia parata vulgo, inventu facilia, ac sine impendio, ex quibus vivimus.

Postea fraudes hominum & ingeniorum capture officinas invenere istas, in

quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones

¶

*Et misturæ in explicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimanantur, ulcerique parvo medicina a rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet. Nam si ex horto petantur, aut herba vel frutex queratur, nulla artium vilior fiat. His debito more trutinatis, horum sectare monita animus est, qui non tam curiosam quam utilem exerceat praxin medicam, facile quoque & pauperibus comparandam, atque indigena præferre exoticis debere, existimo, rationibus ante adductis, ad hoc statuendum allectus. Hinc etiam factum, quod a tempore eo, a quo mihi terræ Tockayenses innotuerunt, in usum Medicum easdem assumpserim, atque in officinas pharmacævticas nostras introduxerim, utque ille bolo Armeniæ, terræ Lemniæ & sigillatæ Silesiacæ, substitueretur, suasor monitorque fuerim. Videns enim, nostras has terras omnibus notis præditas esse, quibus prædictæ optimæ terræ venire solent, hinc nulla nobis obstabat ratio, quo & eadem in compositis medicamentis, in officinis pharmacævticis asservare solitis, loco earundem admisceremus, horumque in locum substitueremus, præsertim cum videam, nostras terras laudatis ante bonitate sua longe præferri debere, id quod & CRATO suo jam agnovit tempore. Specialia autem composita proponere hoc loco haud possum, quorum compositionem eadem ingrederentur, quippe cum nulla hæctenus cognita sunt, si excipias pulverem Bezoardicum nostrum, qui Kesmarkiensium titulo a me insigniebatur, cujus etiam descriptionem hic apponere volui, non in ea existens opinione, tanquam is plurimis aliis, hujus tituli compositionibus, præferri debeat, sed quod is ex talibus constet speciebus, quæ facilius in nostris partibus, comparari possunt.*

℞. cornu cervi phil. pp. ʒj.

lap. cancror. pp.

antimon. diaph.

conchar. c. ʒto. pp.

lap. granat. pp.

terræ medicinal. Tockayens.

pulv. rad. contray. nostr. aa. ʒiij.

cinnab. nat. pp.

nitr. depurat. aa. ʒiʒ.

pulv. viperar. ʒiij.

gran. cochinill. ʒiʒ.

fol. auri fin. No. xij.

argent. fin. No. viij.

misc. fiat pulvis subtilissimus, usui servandus. Ingreditur quoque terra nostra pulverem contra casum a me correctum, cujus sequens est descriptio:

ꝑ. rad. figill. Salom. ꝓj.  
 mum. transmari. ꝓß.  
 nitri depurat. ꝓvj.  
 cinnab. nat. pp. ꝓij.  
 sperm. cet.

terræ medicæ. Tockayen. rubr. pp.  
 lapidem hæmatit. pp.  
 fangu. Dracon. pp.  
 G. \* \*to. squill. solut.  
 camphoræ aa. ꝓij.

miscæ fiat pulvis subtilissimus.

Ecquidem illud haud negari potest a quoquam, uti & superius §. XVI. monitum est, quod terræ quædam medicæ hætenus cognitæ omnino aliquando singularem exerant vim & efficaciam, ita, ut quædam effectus præstent, quos aliæ exerere ac præstare haud possunt. Verum hoc nihil officit sententiæ nostræ modo expositæ, quippe cum terræ illæ non amplius omnes in usus sumantur Medicos, nec nisi rarissime in officinis prostant pharmaceuticis, ac forte, unice solummodo curiosorum Gazophylacia ornant, ac uti vult atque credit *RENODAEVS de Mat. Med. Lib. II. Sect. I. Cap. I.* quod quarundam vires, magis ceremoniæ & superstitiones barbaræ gentis, nobilitant. Accedit, quod unice illicitum locum occupare posse statuamus, quorum hætenus maximus apud Europæos existit, usus, quippe cum certum sit, nostras terras, ab illis, viribus non superari. Unde nullum video momentum, quod assertioni nostræ, aliquam vim aliquo saltem modo, inferre potest. Non autem solus is sum, qui de nostris terris id statuatur, sed omnes omnino scriptores, qui de recentioribus terris, & in specie Silesiacis, commentati sunt, ex instituto idem sentire video & lego. Quare quod illis licitum est prædicare de suis terris, mihi quoque haud vitio vertetur, quod eodem sim usus jure, imo eo magis concedetur potestas illa, quo certius existit, nostras terras Silesiacis, omnino palmam bonitate & effectu, præripere.

§. LXXI.

Hætenus itaque exposita, de terris Tockayensibus sufficere possent, at cum non solum commoda rei a scriptoribus describantur, quibus cognitæ alii etiam in usus suos, ultro assumunt; verum non sufficit in rerum naturalium & præsertim artis salutaris scientia, quod quid præstet scire, sed insuper etiam requiritur, ut quomodo noceat? quoque explicetur, quo cautiores fierent in eorum usu, artis salutaris cultores, sic quoque & mihi incumbere sentio, ut explicatis jam jam viribus, quas præstant laudatæ nostræ terræ in affectibus œconomiz animalis

animalis morbosus, jam & incommoda, atque noxas, quæ ex eorum usu fluunt ac sequuntur, paucis & brevissimis exponam; atque ad hanc explicationem, eo magis incitari videor, quo certius est, me nostrarum terrarum vires, præ aliarum Regionum Provinciarumque extulisse. In hoc, uti excusationem mereor, ac sufficientem in antecedentibus dedi, sic quoque magis eandem confirmat JOH. DAMASCENI *Aph. XIX. ad Filium*, qui sic se habet. *Medicamenta Tibi sint certa & pauca usurpanda, eaque quibus maxime usu fideri possis. Nam si valucris multa assequi, multiplici sensuum varietate eo venies, ut nulli tuto confidere possis.* Hoc enim aureum monitum, uti sufficienter sententiam nostram prolatam excusat, imo confirmat, sic etiam illud mihi maxime ex hujus observatione blandire possum, quod hoc observato, citius terrarum non tantum vires, sed & naturas assequemur, si unice illis terris utemur, quæ maxime sese præ aliis bonitate sua commendant. Quare cum terrarum nostrarum Tokayensium vires levi penicillo adumbraverim, descripsêrimque, nunc quoque incommoda illa quæ eorum usum consequentur, enarrare animus est. Atq; in hoc tratendo jam me præivit laudatus sæpe CRATO in *Comment. de vera præcavendi & curandi Febr. Pestil. ratione p. m. 534.* sic enim ille inquit: *Ego ita existimo, si frequenter sumatur, magnam siccitatem & corporis ariditatem esse secuturam, quod idem de bolo Tokayensi statuo.* Neque de nihilo sunt incommoda usum terrarum medicatarum comitantia ac sequentia, quæ adnotavit *Illustr. Nob. Dn. a BERGER in Diss. de Ardore Ventr. §. XIII. p. 20.* dum sic inquit: *Illud saltem addi meretur, cretam terrasque alias, alvum plerumq; difficilem reddere, neque hæc, & alia quæ dixi, remedia, ita malum semper tollere, quin redeat identidem, & sæpe contumacius fiat. Quin imo vidi multo importunoque illorum remediorum usu, multum damni ventriculo, totiq; corpori allatum fuisse.* At magis notabiliores noxas, ex usu intempestivo terrarum medicatarum adnotavit ac præposuit, laudatus HEINRICI l. c. §. IX. p. 22. dum inquit: *Iniqua etiam sunt præcipitania terrea, bolaria, sigillata, siquidem ab his organa colatoria obstruuntur, & se- & excretiones perturbantur, ut post hæc, etiamsi natura hoc periculum superet, nihiloscus viscerum obstructions se- & excretionum suppressiones remaneant, indeque superveniant chronici, cachetici, hectici affectus.* Atque hæc a Celeberrimis Viris, aliisque, quorum omnem prolixitatem jam evitare volens, testimonia adducere, haud volo, notata incommoda facile quoque experientia propria corroborare possem, verum cum nullus clinico-

rum has quotidie non observet, hinc his pro nunc contentus esse volui, ex quibus satis superque patet, quam caute his medicamentis mercari Medico necessarium sit, utque adeo & de his id prædicari potest, quod HIPPOCRATES Lib. de Arte §. 7. de medicamentorum effectu adnotavit, inquit: *Quæ profuerunt, ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte usurpata sunt, quam ea, quæ opem ferunt, testantur, quod ars sit. Ubi enim rectum, & non rectum utrumque suum habet finem, quomodo quis hoc artem esse neget.* Sæpissime enim evenit, quod innocentia remedia, ob improvidam applicationem, fiant damnosa & exitiosa. Sic etiam illud evenit terreis auxiliis, quorum usus si rite adhibeatur, datis certis circumstantiis, amplissimus & maxime saluberrimus deprehenditur, si vero sine discrimine adhibetur, exitiosus fit, ut ex horum usu, non tam alleventur ægri, quin potius in periculosiorem statum conjiceantur. Atque hoc ut commode evitaretur. cautionibus, Medici Celeberrimi, scriptis exhibitis, præcavere voluerunt, videlicet, ne adhibeantur sub ventriculi atonia, sique is viscidorum colluvie scatet, & falsi magis, quam acidi ibi hærent humores, quippe cum observatum est, stantibus his circumstantiis eorum usus plus nocuisse quam profuisse. Appetitus enim magis dejicitur; gravitativus & compressivus sensus præcordiorum exinde inferitur, ac ardor ventriculi licet ad tempus mitigetur, mox tamen vehementior resurgit. Hæc & ante enumerata incommoda quo evidarentur, hinc medium quoque excogitarunt artis salutaris Professores, videlicet conjunctionem terrarum cum aliis & in specie salinis. Audiamus Cel. FRID. HOFFMANNVM in Diff. de Remed. benign. abusu & noxa §. XV. p. 29. sic enim inquit: *Igitur tutior iis utendi via, ac ratio est, si salibus neutris admisceantur, vel leniora laxantia, rhabarbarina, mannata, aut honeste aloëtica iis subjungantur, ut acidum primarum viarum, ab iis castigatum, vel per urinarias, vel per alvinas vias simul educatur.* Idem etiam jam suo tempore cognovit CRATOL. c. p. m. 534. dum hæc incommoda, quæ usum sequuntur incautum terrarum, evitari dicit, si ea terra cum saccharo rosato accipiatur. Hæc sufficere existimo pro nunc cautionis loco tradita, reliqua accurato judicio Medicorum relinquens, qui cognitis viribus terrarum nostrarum, facile quoque judicabunt, quomodo & quando, aut quibus adjunctis, terræ nostræ in usum Medicum duci debeant.

FINIS,





